6

DE

P. C. TACITI

FIDE

IN

SEX PRIORIBUS ANNALIUM LIBRIS

DISPUTAVIT

H. T. KARSTEN,

LITT. HUM. DOCT.

GYMN. AMSTELOD. PRAECEPTOR.

TRAIECTI AD RHENUM,

TYPIS MANDAVERUNT KEMINK ET FILIUS,

MDCCCLXVIII.

1871, July 1.

Salisbury Fund.

PRAEFATIO.

Quum a multis tractatam hodie quaestionem, Tacito quid fidei in Tiberii regiminis descriptione habendum sit, nonnisi accurata singularum rerum, quas commemorat, indagatione dissolvi posse intelligerem, olim hanc viam ingressus de gravioribus plerisque capitibus peculiares disquisitiones institui, quas iam nunc, sperans fore ut ad iustam Annalium librorum I—VI aestimationem aliquantulum conferre possint, in unum fasciculum compositas benevolo doctorum iudicio permitto. Etiamsi autem hae dissertatiunculae, quippe varia ac diversa tractantes, non nimis arcto vinculo contineri videantur, in eo tamen cohaerent, quod omnibus commune est propositum, nempe ut ostendatur:

Taciti iudicia in multis ac gravibus rebus secum invicem pugnare:

ea saepius etiam factis, quae ipse memoriae prodidit, sed denudatis verborum et sententiarum, quo ea induit, ornatu, redargui:

eum semel iterumque ad argutam et quaesitam disserendi rationem confugere, ut bona Tiberii facta ex saeva sed dissimulanti indole derivanda esse probet.

Ne vero praestantissimum scriptorem temere petiisse videar, opusculum incipiam a causis exponendis, e quibus ea, quae in hac Annalium parte vitupero, explicanda esse opinor; quas satis apertas fore credo, si de subsidiis, quibus in conscribendis Annalibus usus est, deque scriptoris ingenio paucis disputavero. Explicatis his, singulas de fide Taciti quaestiones eo ordine tractabo, quo in legendis Annalibus sponte lectori se offerunt.

Ex iis qui praeter Merivalium, in libro The history of the Romans under the Empire, et Stahrium in notissimo libro Tiberius — cui quidquid obtrectas, hoc laudis tamen manet, ut ad redintegratam rei pervestigationem lectorem lacessat —, in eadem quaestione studium consumserunt, uti Sieversius, Spengelius, Paschius aliique [1]), Sieversii tantum libellis, frustra undecunque

1) Sievers, *Tiberius u. Tacitus.* Zwei Programme. Hamburg 1850—51. L. Spengel, in Actis Acad. Reg. Bavar. VII. 697 et in Philologo 1866, p. 640 sqq. E. Pasch, *Zur kritik der Gesch. des Kais. Tiberius* etc. Altenburg, 1866. Addo dissertationem Gallicam G. Boissierii in *Revue des deux Mondes*, 1867 m. Dec., qui Taciti — et Anglicam, quam scripsit Beesly in *Forlknigthly Review*, 1867 m. Dec. et 1868 m. Jan., qui Tiberii defensionem suscepit.

G. Bernhardy, in *Grundriss d. Röm. Litt.* 1865, alto supercilio eos spernit, qui in Taciti Annalibus vera a fictis secernere studuerint, eos-

petitis, non sine detrimento me caruisse et credo et doleo. Paschii vero librum, quo Stahrianam descriptionem evertere conatus est, diligenter legi, cuius uti operosam miror industriam, ita iudicandi libertatem et prudentiam mirari nequeo, quippe qui in longe plurimis rebus non suo sed Taciti stet iudicio, quod ipsum in censum vocari oportuerat, atque, ubi semel ab auctore dissentit, spreta illius morum Tiberii descriptione aliam suggerat et multo clementiorem quam ex priore opusculi parte consequens fuisset et adeo speciosam ut huic vel Tacitea praeferenda esse videatur.

Antequam vero praefandi finem faciam, reprehensioni occurrendum est, quam fore ut effugiam, sperare vix ausim. Etsi enim Taciti ingenii animique laudes omni suspicione maiores esse et iis tantum scopulis eum illisisse existimo, quos praestantissimi cuiusvis temporis historici non semper evitare potuerunt, metuo tamen ne

---

dem vero invitus adhortatur, ut a proposito persequendo non desistant, quippe qui ultimo loco subiungat: Uebrigens bedenkt man nicht immer dass die historische kunst der Alten, zumal der Römer, in der Mischung des objectiven Thatbestandes mit kleinen subjectiven Zuthaten stark war und sie durch Wort Blick und Mienenspiel das Interesse zu erhöhen sucht. Ein anerkannter Meister der Praxis und der Theorie hat daran treffend in seinem Essay über Macchiavell erinnert, Macaulay bezeichnet sogar die Geschichtswerke des klassischen Altherthums als Romane die im Faktischen begründet sind.

nonnullis acerbius interdum perstrinxisse eum videar; at in his si qui erunt, qui et ipsi aliquando in literarum provincia inveteratum errorem tollere conati sint, hi mecum usu cognitum habebunt, quam vere olim dixerit Niebuhrius: „Wer eingewurzelte Trugmeinungen bekämpft, der kann sich unmöglich ganz frei von Uebertreibungen halten. Mässigung kann erst nach dem Siege eintreten; dann ist die Zeit in der verfälschten früher geltenden Meinung nach den Spuren übertünchter Wahrheit zu suchen."

Scribebam Amstelodami 1868 m. Febr.

INDEX.

PROOEMIUM.

DE ANNALIUM SCRIPTORIS SUBSIDIIS.

Quum id agam in hoc capite, ut summatim exponam, quibusnam ex causis ii, qui ab Annalium scriptore commissi videantur errores, pro parte saltem prodierint, *subsidiorum* nomine non fontes tantum, sed omnia ea complectar, quae, sive personae ipsius sive aetatis qua vixit propria, in scriptorem vim habere potuerint. Ac primum quidem dicendum est de *fontibus*.

Meierotto libellum, quem a. 1795 in lucem edidit, iure hoc titulo insignivit. „Fontes quos Tacitus in tradendis rebus ante se gestis videatur sequutus." Quum enim nec scriptorum nec monumentorum, quorum tamen utrorumque magnam copiam adhibuit, nisi raro mentio iniciatur, quaestio paene tota in coniectura posita est.

Rerum quas narrat auctores nominavit tantum C. Plinium Germanicorum bellorum scriptorem A. I 69, XIII 20, XV 53. Hist. III 28, Agrippinae filiae Commentarios A. IV 53, Fabium Rusticum A. XIII 20, XIV 2, XV 61, Agric. 10, Cluvium Rufum XIII 20, XIV 2, Vipstanum Messallam Hist. III 25, 28, I. Caesarem

Germ. 28, T. Livium Agric. 10. Ceterorum quorum nomina in eius operibus leguntur — Sallustii A. III 30, et quos Cremutius Cordus in notissima oratione citasse dicitur, nempe T. Livium, As. Pollionem, Messalam Corvinum, Ciceronis Catonem Caesarisque Anticatonem, Antonii epistolas, Bruti conciones, Bibaculi Catullique carmina IV 34, dein P. Rutilii et Scauri qui ut suarum, Aruleni Rustici et Senecionis qui ut aliorum vitarum scriptores memorantur in Agric. 1, 2 — horum quamquam scripta cognovisse potuit, tamen non tanquam fontium sed alia de causa commemoratio facta est.

Praeter illos autem, reliquorum *rerum scriptorum*, quos permultos se consuluisse plus semel ostendit,[1]) nomina reticuit, sive incuriosus fuit quis quid dixerit, dummodo rem recte referret, sive, ut Meierotto suspicatur, non magnopere illorum rationem habendam esse censuit, quandoquidem plerorumque veri studium haud magni pependisse videtur, ut mox docebimus.

Sed praeter auctores ei praesto fuerunt monumenta publica. Ex his afferenda sunt

Fasti. Hos merito censeas nihil continuisse, quod aliunde non iam erat notissimum; inspexisse eos Tacitum quamquam verisimile est, tamen loci ubi commemorantur non probant A. I 15, III 17. Eos nonnumquam sublestae fidei fuisse apparet ex Hist. IV 40: Tum sorte ducti (a. p. C. 70)... qui *fastos adulatione temporum foedatos* exonerarent.

---

1) A. I 1, 80, 81. II 88 (Graecorum annales). III 3. IV 10, 32, 53, 65. V 4, 9. VI 7 28. Hist. II 37, 49, 101. III 22, 51, 54. IV 83. V 2, 6.

Acta diurna P. R. sive publica. His fontis loco usum esse nostrum probant A. III 3: „matrem Antoniam non apud auctores rerum, non *diurna actorum scriptura* ullo insigni officio functam," et XII 24: „quos tum Claudius terminos (pomoerii) posuerit, facile cognitu et *publicis actis* perscriptum." Attamen annalibus inferius scriptorum genus denotantur XIII 31: „cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia *diurnis urbis actis* mandare. Quam late patuerit eorum notitia monemur XVI 22. Ceterum de his subscribas Meierottii sententiae p. 13: „neque quod honestum verumve esset inde „disceres, verum solum quod necessarium et tutum dictu."

Acta Senatus num Tacitus viderit fuerunt qui dubitarent, quoniam ex Augusti decreto, Suet. in v. 36, non amplius divulgabantur, nec nisi per praefectum urbi ea inspiciendi copia dabatur (cf. Pauly R. Encycl. ed. 2 in v.). Quum vero non esset cur sub Nerva et Traiano Tacito illa venia negaretur, quae postea aliis quoque praébita est, [1]) ac disertum hocce eius exstet testimonium in A. XV 74 *reperio in Commentariis Senatus*, haud scio an illorum dubitatio non admittenda videatur. At vero eum ista evolvisse hinc quoque palam fit, quod cum Tiberii tum aliorum in Senatu habitas orationes ita retulit, ut qui non ex aliorum relatione vel ex fragmentis in actis publicis ea cognoverit, sed ipse manu triverit ac pro lubitu ex iis excerpserit. Et apertissime quidem id testantur hi loci, A. I 81: de comitiis consularibus, quae tum

1) Quod de se affirmat Vopiscus in v. Probi 2, cui ad Aureliani quoque vitam conscribendam (c. 1) iussu praefecti urbi bibliothecae Ulpianae aliarumque, in quibus ea asservabantur, subsidia commissa sunt.

primum illo principe ac deinceps fuere, vix quicquam affirmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores sed *in ipsius orationibus* reperiuntur, cet., et II 63: *extat oratio, qua magnitudinem viri* sqq. Alibi breves acutasque sententias, quibus lubentissime ille princeps utebatur, ex eius orationibus asservavit, uti I 72: neque in acta sua iurari quamquam censente Senatu permisit, *cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans*, et IV 30, quae eiusmodi sunt, ut eas non magis finxisse videatur scriptoris ingenium, quam illas conciones, in quibus, pro rerum necessitate, diversissima quaeque coagmentata invenimus, qua de re omnino conferendae sunt Senatorum deliberationes relatae in I 8—16. II 33. III 69. Praeterea orationum partes prodidit II 36, 38. III 12, IV 8, 16, 38, 40 etc.[1]).

Idem fere dicendum est de *epistolis* Tiberii principumque virorum. In his quoque, *modo* solennia quaedam effata, grata huic principi, uti A. I 73: Scripsit consulibus non ideo decretum patri suo coelum ut in perniciem civium is honor verteretur .... *deorum iniuriae dis curae*, et III 47 in f.; *modo* negotiorum diversitate parta argumenti varietas — uti VI 2 sq.: Tiberius egit gratias benevolentiae patrum ... haec adversus Togonium ... at I. Gallionem, qui .., violenter increpuit ... iisdem litteris Caesar S. Paconianum praetorium perculit. VI 15: Superque ea re Senatui scribit ... dein redditis absentiae causis admodum vagis flectit ad graviora. (Cf. III 35 et

---

1) Pariter de Senecae Neronisque orationibus in A. XIV 53 sqq. iudicat Spengelius in Philologo 1866 p. 645: „Beide Reden sind keine „rhetorisch-historischen Kunststücke, sondern wirklich gehaltene Reden."

praesertim 53 sq. VI 9, 12, 13, de quibus iure Meierotto quaerit „quid attinebat Tacito haec iisdem lite„ris attribuere, si non exemplar ipsarum ante oculos „habuisset) — *modo denique* scriptoris testimonium, quale legimus I 25: literas patris recitat *in quibus perscriptum erat* sqq., et VI 6: insigne visum est earum Caesaris literarum initium, *nam his verbis exorsus est* sqq., — probant sive Tacito, ut Suetonio, ipsas describendi copiam factam fuisse, sive eum ex fidissima epistolarum actorumque collectione, cuiusmodi ipsius aequalis Mucianus in dial. de Orat. 37 edidisse narratur, integras easdem cognovisse.[1]) Accedit quod de Lentuli epistola ad Caesarem VI 30, quae ex aliorum commemoratione tantum in notitiam ei venerat, prudenter ut de nulla alia sic scribit: unde *fama constans* ausum mittere ad Caesarem literas ... haec *mira quamquam* fidem ex eo trahebant e. q. s. Aeque prudens fuit in Augusti, quam non vidit, oratione referenda I 6: multa *sine dubio* saevaque Augustus de moribus adolescentis questus est. In Historiarum libris epistolae citantur I 74 sq. III 9, 11.

Praeter hos autem fontes aliis quoque usus est minoris momenti: *testamento* Augusti A. I 8; eiusdem *libellis* quibusdam I 11, III 68; *edictis* Tiberii I 7, III 6, V 5; Seiani *codicillis* ad Caesarem IV 39; memoranturque *Carmina anonyma* et *libelli famosi* I 72, 74. Atque ultimo loco non praetereundi sunt *rumores* vulgique sermones, quae bis disertis verbis nuncupavit, III 16: *Audire me memini ex Senioribus* et IV 10: In tradenda morte Drusi, quae plurimis maximaeque fidei auctoribus

---

1) Cf. C. Peter Röm. Gesch. III 227.

memorata sunt, rettuli; sed non omiserim eorundem temporum *rumorem, validum adeo ut nondum exolescat.* Quibus rumoribus quam largiter ad narrationem collustrandam usus sit infra videbimus.

Iam vero quaenam erat natura, quodnam pretium illorum fontium? Certissima ac fide dignissima sane erant *monumenta publica;* verum ex his externa tantum, velut magistratuum nomina et tempora, bella, triumphi taliaque aliunde satis nota transscribi poterant. Interna vero historia, Caesarum principumque virorum indoles, mores, aemulationes, contentiones, quae prae reliquis rebus depingere Tacitus in animum induxerat, haurienda erat ex illorum *orationibus* et *epistolis* atque ex scriptoribus temporum. Quominus tamen Tiberii saltem epistolis orationibusque ad huius mores cognoscendos noster multum tribueret, impedimento erat assidua eius dubitatio, num revera intimam ille mentem in iis expresserit, de quo haeret e. g. I 52. III 12. IV 9. Itaque longe maximam partem res rediit ad annalium, commentariorum, libellorum *scriptores* ac traditionem. De horum autem veritate et pretio haec ipse professus est A. I 1: Sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt; temporibusque Augusti non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii Caique et Claudii ac Neronis res *florentibus ipsis ob metum falsae* (Velleius?), postquam occiderant *recentibus odiis compositae sunt.* Inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio quorum causas procul habeo. IV 11: Neque quisquam scriptor tam infensus exstitit, ut Tiberio obiectaret (scil. filii necem), *cum alia omnia conquirerent intenderentque.* Cf. Hist. I 1, II 101.

Quod autem de incertitudine horum fontium sic sine involucris testatus est, id quavis operis pagina confirmatum habemus. Etenim de nulla non re graviore, aut simulac interior eventuum ratio dignoscenda est, diversissimi rumores, opiniones, coniecturae promuntur, atrociore semper fama erga dominantium exitus, ut ait IV 11, quibus tradendis tantum Tacito, quippe certiorum ignaro, plerumque acquiescendum fuit. Sic I 3: Lucium Caesarem et Gaium mors fato propera *vel* novercae Liviae dolus abstulit. 5, rumores de morte Augusti, (Suet. 98 sqq.). 53 de caede Agrippae Postumi. II 43: *Credidere quidem* data et a Tiberio occulta mandata; et Plancinam *haud dubie* Augusta monuit. 55: quod haud invito imperatore ea fieri *occultus rumor incedebat.* 73: corpus praetuleritne veneficii signa *parum constitit;* nam ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior *diversi interpretabantur.* III 3: *seu* ... *seu* ... *Facilius crediderim.* 8: neque *dubitantur* praescripta ei (Druso) a Tiberio. 14 et 16 suspiciones in causa Pisonis, de quibus infra agam. 22: quod *alii* civile rebantur ... *quidam* ad saevitiam trahebant. 64: sincera adhuc intra matrem filiumque concordia *sive* occultis odiis. 67: *nec dubium habebatur* saevitiae captarumque pecuniarum haberi reum. IV 10 sq. rumores de Drusi morte. 38: perstititque posthac secretis etiam sermonibus talem sui cultum aspernari. Quod *alii* modestiam, *multi* quia diffideret, *quidam* ut degeneris animi interpretabantur. 57 rumores de causis cur in Capreas insulas secesserit, (Suet. 39, 51. Dio Cass. 57, 12). V 10: *neque* nos originem finemve illius rei (de Pseudo-Druso) ultra *comperimus.* VI 23: *tradi-*

dere quidam praescriptum fuisse Macroni cet. 30: *unde fama constans* ausum mittere ad Caesarem literas. 38; 45: honores, quos omiserit receperitve *in incerto fuit* ob propinquum vitae finem. 47: invalido ac *fortasse* ignaro (Tiberio) ficta pleraque. 50 de exitu Tiberii, Suet. 73. — Cum his autem locis, quae probant in quam multis ac gravibus fontes deficerent, quadrant ea, quae scripsit Dio Cass. 53, 19: *οὐ μέντοι ὁμοίως τοῖς πρόσθεν τὰ μετὰ ταῦτα* (i. e. quae sub imperio gesta sunt) *πραχθέντα λεχθῆναι δύναται .... καὶ κατὰ τοῦτο πολλὰ μὲν οὐ γιγνόμενα θρυλεῖται πολλὰ δὲ καὶ πάνυ συμβαίνοντα ἀγνοεῖται, πάντα δὲ ὡς εἰπεῖν ἄλλως πως ἢ ὡς πράττεται διαθροεῖται .... ὅθενπερ καὶ ἐγὼ πάντα τὰ ἑξῆς ὅσα γε καὶ ἀναγκαῖον ἔσται εἰπεῖν, ὥς που καὶ δεδήλωται, φράσω, εἴτ' ὄντως οὕτως εἴτε καὶ ἑτέρως πως ἔχει. προσέσται μέντοι τι αὐτοῖς καὶ τῆς ἐμῆς δοξασίας ἐς ὅσον ἐνδέχεται, ἐν οἷς ἄλλο τι μᾶλλον ἢ τὸ θρυλούμενον ἠδυνήθην ἐκ πολλῶν ὧν ἀνέγνων ἢ καὶ ἤκουσα ἢ καὶ εἶδον τεκμήρασθαι.* Itaque de Tacito quoque credendum cum Meierotto p. 24 „eum ex ista farragine indicia quidem et externas significationes omnes desumsisse, internam vero hominum naturam, tecta animorum, causas, modum quo quaeque res gesta esset, videri sibi ipsum finxisse."

Quodsi ea fuit fontium conditio, ut scriptoris divinationi atque ingenio satis magna pars muneris esset relicta, permagni interest ut cognoscamus *qua voluntate quibusque opinionibus* imbutus ad scribendum accesserit. Ac primum quidem vulgata de Tiberio opinio, quacum Tacitus adoleverat, universe fuit haecce: illius regnum miseriarum illarum, ex quibus sub Vespasiano demum imperium emerserit, fuisse initium. Iam de vivo, „quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia

caritate in eum Caesaris et ceterorum in utrumque odio, *quamvis fabulosa et immania credebantur,"* quas odiosas narrationes, qui post mortem *recentibus odiis* res illius composuerant, studiose conquisiverant et nova insuper intenderant (IV 11; I 1). Horum scriptorum sublestam fidem licet Tacitus compertam habuerit nosque ut ab ea caveremus monuerit (ibid. s. f.), tamen in sequentibus monstrabitur multum abesse, ut et illorum et aequalium commenta (III 16) ubivis agnoverit et respuerit.

Fueruntne autem alia, praeter iniquam illam traditionem, quae iustae et verae rerum descriptioni obstiterint? Ita credo; eaque partim temporum illorum historiographiae, partim unius Taciti fuerunt propria.

Quantacunque enim Romanorum historicorum sunt merita, tamen longe aberant, nec desunt probabiles rei causae, a religiosa illa verum investigandi et scribendi cura, quae hodie merito summa lex historiographis esse aestimatur. Narrabant numquam sine proposito quodam, utili quidem plerumque iucundoque legentibus, sed quod hanc ipsam ob causam aliis quoque, atque unius veritatis, studiis ansam praebebat. Nec Tacitus ex horum numero eximendus est; nam tametsi istos reprehendit, qui, ne lecturos taedio afficerent, veriti, res alioquin cognitu haud indignas silentio praeterierint VI 13, nihilominus ipse veniam petendam sibi duxit, ubi quae narrat *minimum oblectationis afferunt. Nam situs gentium, varietates praeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa,* e. q. s. Haec autem quae iniucunda sunt tamen idcirco memoriae prodere se fatetur, quia *profutura* sunt legentibus: „nam ut olim qui vulgi senatusque et optimatium ingenia

maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur, sic nunc haec conquiri tradique *in rem fuerit*, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus utilia ab noxiis discernunt, plures *aliorum eventis docentur.*" IV 32 et 33. Pariter III 65: „quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia *metus sit.*" Itaque iuxta veritatis cognitionem hoc quoque studio ducebatur ut politicam prudentiam doceret, virtutisque ob gloriam amorem, vitiorum propter infamiam metum animis infunderet, dum narrationis iucunditate oblectaret. Ex hoc fonte amplae illae et splendidissimae fluxerunt descriptiones proeliorum, iudiciorum aliarumque rerum omnium quae ad propositum illud pertinere viderentur. In his autem et ille et ceteri multa admittebant licentiae poësis quam historiae severitati magis congrua, quippe qui non tantum praeterita revelare sed simul aequales posterosque commovere et emendare studerent; hinc iisdem paene, quibus oratores, praeceptis tenebantur, ac prorsus in nostrum cadunt quae Quinctilianus de oratorum ἐνεργείᾳ scripsit I. O. 8, 3: „Sic urbium captarum crescit miseratio. „Sine dubio enim, qui dicit *expugnatam esse* civitatem, „complectitur omnia, quaecumque talis fortuna recipit: „sed in affectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. „At, si aperias haec, quae verbo uno inclusa erant, ap„parebunt fusae per domos ac templa flammae et ruen„tium tectorum fragor, et ex diversis clamoribus unus „quidem sonus: aliorum fuga incerta, alii in extremo „complexu suorum cohaerentes, et infantium feminarumque „ploratus, et male in illum usque diem servati fato se„nes: tum illa profanorum sacrorumque direptio efferen-

„tium praedas repetentiumque discursus, et acti ante suum „quisque praedonem catenati, et conata retinere infan„tem suam mater et, sicubi maius lucrum est, pugna „inter victores. Licet enim haec omnia complectatur „*eversio*, minus est tamen totum dicere quam omnia. Con„sequemur autem ut manifesta sint, si fuerint veri similia: „et *licebit etiam falso affingere quidquid fieri solet.*" [1]) Quatenus autem hoc studium Taciti Germanicorum bellorum relationi offecerit, acutissime docuit Spengelius in Actis Acad. Bav. VII 697, quid vero in aliis, praesertim in iudiciorum expositione incommodi habuerit, id nobis infra passim observandi erit locus. [2])

Imprimis autem periculosa est ethica illa historiae scribendae ratio, si auctor suas opiniones politicas in iudicando adhibet.

---

1) Locum citavit Meierotto in fine libelli.

2) Quinam affectus pectus ei moverint et in depingendis rebus vim habuerint pulcerrime descripsit Astius in lineamentis Philol. p. 501: An Tiefe, Weisheit und umfassender eindringender Kenntniss übertrifft er alle seine Vorgänger; ebenso an Scharfsinnigkeit und grossartiger Gediegenheit der Darstellung. Aber der Geist seiner Geschichte ist nicht mehr der reine und unbefangene der ächten Historie; das Laster und die Verworfenheit der Welt, in der er lebte, die Künste und Greuelthaten des Despotismus, von denen er zum Theil als Augenzeuge die genauesten Kenntnisse hatte, in Gegensatze gegen die alten römischen Sitten erfüllten ihn zu sehr mit Hass, und brachten jene Stimmung des Unmuths und der Erbitterung hervor, die bald als Satyre sich offenbart, wenn sein Geist in der Betrachtung des Gegenwartigen lebt, bald als Wehmuth uns fesselt, wenn er das Andenken vormaliger Zeiten zurückruft. Darum ist der Geist seiner Geschichte, der Ton seiner Rede, der Charakter seines Stils so in sich selbst gedrängt und herbe, so voll bitterer und zugleich wehmüthiger Reflexion, dass er nicht nur aus der epischen Ruhe und Vollendung der Historie herausgeht, sondern selbst aufhört antik zu sein.

Ac mitto nonnullorum opinionem, ex qua Tacitus optimatium fautor, imperatorem, qui cuiuscunque ordinis cives nullo habuerit discrimine, hanc ob causam oderit; etiamsi concedo insitam quamdam nobilitatis verecundiam merito reperiri his locis I 8, 29, 53. II 37. III 3, 24, 27 ubi Nipperdey, 48. IV 15. Sed hoc volo, nihil eum magis tetigisse, quam quod sub Tiberio *angustius*, ut ait, *imperitatum est* IV 4, id est, quod ille paci potius quam externo imperii splendori consuluit; hinc de aevi illius scriptore ita queritur ibid. 32, *in arcto et inglorius labor, immota quippe aut modice lacessita pax, maesta urbis res et princeps proferendi imperii incuriosus erat.* Hanc peculiarem Taciti opinionem de Caesaris officio iustae eius aestimationi Tiberii multum offecisse, infra apparebit.

His omnibus denique unum addendum est, quod, cum iis quae attulimus ac praesertim cum lubrica fontium conditione arctissime coniunctum, praecipua ut opinor errorum origo habendum est.

Est nimirum Tacitus ex illis historicis, qui poëtico et philosopho ingenio non minus quam eruditione et sagacitate excellentes, ad artifices aeque atque ad logographos referendi sunt. Tali scriptori quum, fontes evolventi, diversissima de Tiberii factis consiliisque testimonia, ac modo moesta et atrocia, modo laeta et honesta ab eodem perpetrata pari fiducia traderentur, atque ita optio esset facienda num, uti mox Suetonius et Dio Cassius fecerunt, quasi dimidiato opere alteram vitiis alteram laudibus describendis partem tribueret, an discordia illa consociare et ex uno eodemque fonte deducere conaretur — ille sibi satisfacere non potuit antequam eiusmodi Tiberii sibi imaginem informaverat, quae vitiosa et proba concordi pace complecti

videretur. Tale vinculum quaerenti, quo contraria ligaret, cum ea, quae supra enumeravimus, fontes, traditio, ipsius opiniones, tum psychologia postulare videbantur, ut *simulationem* illud esse statueret: itaque putabat Tiberium natura *saevum*, ea, quae specie honesta fecit, simulavisse, quo melius proposita exsequeretur. His vitiis *simulatio et saevitia*, [1]) ille ita usus est ut totam fere annorum illorum historiam ex iis suspenderit; ac de iis operis partibus, in quibus illa primas agunt (uti de omnibus quae Germanicum tangunt, quem quasi perfectissimum heroem alteri opposuit), imprimis valent Niebührii verba in Mus. Rhen. II 292: „Um so helleres Licht „sucht er auf die ausgewählten Parthien zu werfen: die„ser Theil der Annalen gleicht der Peterskirche in der „Erleuchtung des Kreuzes, wo die meisten Theile des „Gebäudes in Dunkelheit und unsichtbar liegen, andere „durch die abgegränzten Schatten um so stärker ge„zeichnet sind." [2])

Negari nequit huic rationi eximiam deberi operis praestantiam, at simul fatendum est ei, qui illo modo unitati operis atque perfectioni studuerit, ubi fontes defecerunt, viam proclivem fuisse ad errores et exaggerationem. [3])

Mox in singulis perscrutaturus, quid in hoc genere peccaverit, iamnunc conclusionem operis, in qua paucis verbis Tiberii imaginem nobis ob oculos posuit, adscribam, ut appareat quam non meticulose Tacitus proposi-

---

1) IV 71. I 72. III 22. IV 57. VI 20, 24 etc.

2) Eandem ob causam Racinius in 2o Prol. Britannici eum appellavit „le plus grand peintre de l'antiquité."

3) Idcirco iam Niebührius ll.: „im Allgemeinen was mit einigem Recht „an ihm gerügt worden trifft diese Bücher."

tam rationem ad explicanda illius virtutes ac vitia, ad finem usque persecutus sit: „Morum quoque tempora illi „diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in „imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fin„gendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus super„fuere. Idem inter bona malaque mixtus incolumi matre; „intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seia„num dilexit timuitve; postremo in scelera simul ac de„decora prorupit, postquam remoto pudore et metu *suo* „*tantum ingenio utebatur.*" VI fin. Haec solutio — ex qua Tiberius ad 57 aetatis annum (nam tum demum imperium adeptus est) fuit *egregius vita famaque*, atque 72 aetatis anno tandem *suo* uti coepit *ingenio*, dum intra illud tempus virtutes *finxit* aut vitia oppressit, idque non filiorum tantum sed matris Liviae et Seiani quoque pudore — probat, Tacitum in Tiberio, *a quo tempore regnum adeptus est*, omnia retulisse ad *simulationem* et *saevitiam*, quae ratio, quum ex praegressa Taciti narratione necessario sequatur, hanc ipsam ob causam totam descriptionem condemnat, est enim tam parum verisimilis, tam contraria hominum naturae, ut ipse Paschius, [1]) qui in ceteris nullibi ab auctore discessit, aliam (ut vereor, neutiquam probabiliorem) supponendam esse censuerit.

Disputatis hisce — de fontium conditione, de traditione, deque Taciti animi et ingenii nonnullis propriis — quae explicarent, cur auctor, qui sine ira et studio scripsisse se professus est, tamen in errores incidere potuerit, ad singulas quaestiones transeo.

---

1) Zur Kritik der Gesch. des K. Tib., p. 127.

I.

CUR TIBERIUS AUGUSTO SUCCESSERIT.

Lib. I. Cap. 3. *Ut Agrippa vita concessit, L Caesarem euntem ad Hispanienses exercitus, Gaium remeantem Armenia et vulnere invalidum mors fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit, Drusoque pridem extincto, Nero solus e privignis erat, illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur omnisque per exercitus ostentatur, non obscuris ut antea matris artibus, sed palam hortatu. Nam senem Augustum devinxerat adeo uti nepotem unicum Agrippam Postumum in insulam Planasiam proiecerit, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum.* Cap. 7. *Dabat et famae ut vocatus electusque potius a republica videretur, quam per uxorium ambitum et senili adoptione irrepsisse*, et IV 57.

Cum his autem confer III 56. *Id summi fastigii vocabulum* (i. e. tribunicia potestas) *Augustus repperit ne regis aut dictatoris nomen assumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. Marcum dein*

Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret. Sic prohiberi pravas aliorum spes rebatur; simul modestiae Neronis et suae magnitudini fidebat.

Haec si apud varios scriptores legerentur, quis est quin congruere negaret; num quia promta sunt ex eodem, idcirco convenire dicenda sunt? Immo pugnant adversa fronte. Docent priores loci Augustum non de sua voluntate Tiberium successorem destinasse sed *invitum*, eumque uxoris artificiis circumventum alios eosque digniores ei postposuisse. Ultimus contra locus declarat eum Tiberium *delegisse.* Cur? Nihil de matris artibus, nihil de dignioribus iniuria spretis, quin *delegit ut pravas aliorum* (sive Germanici, sive Patriciorum quorundam) *spes cohiberet,* et quod fidens illius *modestiae* suaeque magnitudini, nihil, dum ipse praeesset, sibi ab eo metuendum opinabatur. Quae autem legimus IV 57, Augustum *precibus uxoris evictum* non Germanicum sed Tiberium sibi ascivisse, controversiam non tollunt, sed est nova opinio, media inter utramque.

Quid verum est? Suetonius in Tib. 15 refert, Gaio et Lucio defunctis *nihil praetermissum esse ad maiestatem eius* (Tiberii) *augendum ; ac multo magis postquam, Agrippa abdicato atque seposito, certum erat, uni* (Tiberio) *spem successionis incumbere;* in Cal. 4 scribit quidem, Augustum diu cunctatum esse an Germanicum successorem sibi destinaret; verum nihil novit de artibus vel ambitu Liviae. Scit sane, Tib. 21, *vulgo persuasum fuisse*, Augustum *expugnatum precibus uxoris adoptionem non abnuisse, vel etiam ambitione tractum, ut tali successore ipse quandoque*

desiderabilior fieret [1]) — sed relatis his rumoribus verissime ita concludit: *Adduci tamen nequeo, quin existimem circumspectissimum et prudentissimum principem* [2]) *in tanto praesertim negotio nihil temere fecisse; sed vitiis Tiberii virtutibusque perpensis potiores duxisse virtutes.* His autem excerpta subiungit ex ipsius Augusti epistolis, in quibus Tiberium *ut peritissimum rei militaris utque unicum P. R. praesidium prosequitur;* quibus tamen callidissimi principis enuntiatis cavendum esse scio ne nimis tribuatur.

Apparet igitur Suetonii sententiam convenire cum altera eaque mitiori Taciti opinione; ad hanc autem confirmandam plura concurrunt. Primum, eam tum a Tacito prolatam esse, quum *data opera* de tribuniciae potestatis origine inquireret deque causis, cur Augustus Neronem ad summum illud imperii fastigium vocaverit: porro, Tacitum, severissimum censorem, ibi maxime audiendum esse ubi reum absolvit: denique optionem inter Tiberium, virum *egregium vita et fama* VI 57, rei militaris ac publicae usu tritum, et Germanicum, iuvenem 19 annorum, qui modo ad remp. accesserat, diu ambiguam esse non potuisse. At, quaerat quis, cur in initio operis aliud tulit iudicium? Quia de re dubia, sed quam scire multitudinis intererat, varii rumores exierant, uti testatur Suetonius [3]); quorum ille, decantatus vulgo, sponte scri-

1) Eandem ineptam suspicionem memorat explicatque Tac. I 10, ad cuius verba *Etenim — exprobraret* cf. Suet. ll. et c. 68.

2) Quae tanta fuit prudentia ut „Sermones quoque cum singulis *atque etiam cum Livia sua* graviores, nonnisi scriptos et e libello haberet, ne plus minusve loqueretur ex tempore." Suet. Aug. 84.

3) Cf. etiam Dio Cassius 53, 19: qui locus, supra pro parte descriptus, lectu est dignissimus. Facit mentionem de Tiberii adoptione 55, 13.

ptori se obtulit, quum, re nondum accurate pensitata, in operis exordio varia crimina in Liviam filiumque congereret, sed quem sprevit, quum aequiore animo in Tiberium (vide III 55 in.) quaestionem de industria explanaret. Redit autem nonnihil veteris suspicionis in IV 57, postquam (idque notatu dignum) iniucunda quaedam de Tiberio memoranda habuit.

Itaque gratulandum est Tacito quod errorem correxit, etiamsi inde orta est iudicii inconstantia [1]); nobisque in ceteris quoque probe discernendum quid ex rumoribus, quid ex diligenti rerum inquisitione perceperit.

Breviter error corrigendus est in

Cap. 13. *Omnes* (nempe M. Lepidus, Gallus Asinius, L. Arruntius, Cn. Piso) *praeter Lepidum variis mox criminibus struente Tiberio circumventi sunt.* Eximendus est etiam L. Arruntius, qui semel auctore Tiberio crimine liberatus VI 7, [2]) postea demum a Macrone accusatus *invalido ac fortasse ignaro Caesare* mortem sibi conscivit VI 47. De Cn. Pisone agendum erit infra.

TIBERIUS ET LIVIA.

Lib. I. Cap. 14. *Multa Patrum et in Augustam adulatio . . . ille* (Tiberius) *moderandos feminarum honores*

---

1) Itaque Tacitum sibi numquam obloqui perperam contendit Paschius in libro saepius laudato p. 36 sqq. Non magis Tacitus sibi constat in referendo Tiberii iudicium de Germanico III 55 et II 43, eiusque pietatem erga matrem I 14, IV 57, III 64 et II 34, V 3, VI 57.

2) In citandis capp. libri V et VI lectoris gratia vulgarem ordinem secutus sum.

dictitans eademque se temperantia usurum in iis quae sibi tribuerentur, ceterum anxius invidia et muliebre fastigium in deminutionem suam accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est aramque adoptionis et alia huiuscemodi prohibuit. [1]) Tiberium temperantissimum fuisse in accipiendis honoribus satis notum est (de qua re vid. infra ad IV 37). Num autem matri propter *invidiam* ea tribui non passus sit, est quod dubites auctore ipso Tacito, quippe qui de filii cum matre consuetudine haec duo affirmet: alterum, *inveteratum Tiberio erga matrem obsequium* fuisse, V 3, VI 57: alterum, cessisse eum matris voluntati, quotiescumque controversia inter ambos exstiterit; id enim, licet non totidem verbis declaraverit, nihilominus sequitur ex omnibus iis locis, in quibus tangitur haec quaestio. I 13: Haterius Agrippa, offenso principe, Augustam orat, eiusque precibus protegitur. II 34: *Tiberius hactenus matri* (quamvis iniqua petenti) *indulgere civile ratus*, unde *Caesar maiore fama fuit.* Similiter in causa Plancinae III 17. Non neglexit debita matri officia III 64: *Sub idem tempus* (a. 22, erat 64 annos natus) *Iuliae Augustae valetudo atrox necessitudinem Principi fecit festinati in urbem reditus.* Denique non exiguam eius erga matrem reverentiam fuisse hoc maxime clamat, quod Fusium Geminum *dicacem et Tiberium acerbis facetiis irridere solitum* sed matris gratia pollentem,

---

1) Suetonii verba C. 50: *non ullum insignem honorem recipere publice passus est* id ipsum spectant et e Tacito desumta videntur. Idem dicendum de praecedentibus *uno oppido clausam*, quae comparanda sunt cum Tac. I 53 *mox oppido Reginorum .... clausa.* Utrum C. 58 *exercendas esse leges respondit* e Tac. I 72, an utrumque ex eodem fonte manaverit, haereo.

vivente illa patienter tulit et post mortem tantum *oblique perstrinxit* V 2. Addo, quod refert Suetonius c. 50, principem, congressum matris assiduum vitantem ne eius consiliis regi videretur, his tamen interdum *et egere et uti* solitum fuisse. Sunt haec testimonia, quae non verbis nituntur sed factis, eiusmodi, ut confidenter neges Tiberium illos honores, de quibus c. 14 sermo est, matri eos ambienti negare sive voluisse sive potuisse, utque credas alteram persuasione, alterum prudentia adductum esse ut eos aspernaretur.

His autem id tantummodo dictum volo, filium in publico debitam matri pietatem numquam denegasse. Etenim mutuam caritatem nullis casibus concussam esse, id, habita indolis utriusque ratione quumque paene iuxta se invicem in summo dominationis fastigio essent collocati, [1]) affirmare vix ausim, praesertim quum exempla quae attuli probent, identidem levissimis de causis dissensiones oriri debuisse. Erat fama, matris violentiam in causis fuisse cur Tiberius Roma secessisset Tac. IV 57 cll. V 1 et Suet. c. 51: illa causa per se spectata veri non dissimilis est, et concinit cum iis quae modo evicimus, eum matri semper se minorem gessisse; mansit *inveteratum obsequium* quamdiu mater vixit, verum quantopere pietas refrixisset inde apparet, quod mortuae ma-

---

1) Dio Cass. 57, 12 mutuam matris filiique conditionem rectissime sic describit: *ἐπί τε γὰρ τοῦ Αὐγούστου μέγιστον ἠδυνήθη καὶ τὸν Τιβέριον αὐτὴ αὐτοκράτορα πεποιηκέναι ἔλεγε, καὶ διὰ τοῦτο οὐχ ὅσον ἐξ ἴσου οἱ ἄρχειν, ἀλλὰ καὶ πρεσβεύειν αὐτοῦ ἤθελεν.* Porro: *ἀγανακτῶν οὖν ἐπὶ τούτοις* (sc. Tiberius) *οὔτε τὰ ψηφιζόμενα αὐτῇ πλὴν ἐλαχίστων ἐπεκύρου, οὔτ' ἄλλο τι ὑπέρογκον ποιεῖν ἐπέτρεπεν.* Denique: *ὥστε καὶ ἐς τὴν Καπρίαν δι' ἐκείνην οὐχ ἥκιστα μεταστῆναι.*

tris testamentum irritum fuit, donec Caligula legata persolvit. Tac. VI, Suet. Cal. 16. Iam vero hae discordiae vulgi rumoribus efferebantur inque maius augebantur; si quid Augusta fecerat, quod filio ingratum fore videretur, susurrabant principem offensum esse; qui si nec verbis nec factis matris acta improbaret, addebant solito in Tiberium praetextu, eum iram alta mente abdidisse. Tac. III 64. Edebantur carmina ab incertis auctoribus (usitatissimus quaestus illo tempore) *in discordem cum matre animum* I 72, quae quam nihili fuerint docet exemplum, quod servavit Suet. 59:

> *Asper et immitis, breviter vis omnia dicam?*
> *Dispeream, si te mater amare potest.*

Vulgaris opinio eorum, qui suppares erant, de regno Tiberii nitebatur non accurata rerum cognitione (nec mirum D. Cass. 53, 19), sed carminibus istis rumoribusque ac descriptionibus quae *recentibus odiis* I 1, erant composita; hinc autem exstitit mendum late patens in Tacitea narratione; imbutus enim illa traditione manus operi admovit; occurrerunt haud pauca praeceptae opinioni contraria; quid his fecit? aegre ac rarissimo illam correxit, plerumque pugnantia adversa fronte in concordiam redigere studuit; hinc iudicii inconstantia, hinc quaesitae explicationes ac suspiciones falsae et inanes. Exemplo sit locus quem citavi III 64: laudatne principem sexagenarium quia ob matris aegritudinem in urbem festinavit? Immo, imbutus vulgari opinione de discordi illorum animo, oblitusque factorum quae ipse cum hoc ipso loco tum alibi nobis asservavit, quaerit num sic egerit *sincera adhuc intra matrem filiumque concordia sive occultis odiis?*

Pauca annotanda sunt ad

Cap. 53. Tiberius imperium adeptus Iuliam, filiam Augusti quae olim uxor eius fuerat, *extorrem* i. e. relegatam a patre a. 2 a. Chr. *inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exsilii ratus.* Paschius in libro zur Kritik etc. p. 68 [1]) Iuliae fatum parum accurate tractavit; neque enim verba *inopia* — *peremit* significant apud Tacitum *fame interemit* (cf. VI 23, 25), nec verum est, quod contendit, Suetonium rem multo etiam horribilius proponere. Ambo idem narrant sed diversa ratione atque ita ut Suetonii narratio Taciteae sit pro commentario, ut recte vidit Ruperti in Comm. ad h. l. Scribit Suet. c. 50: *Iuliam .... ex constitutione patris uno oppido clausam domo quoque egredi et commercio hominum frui vetuerit; sed et peculio concesso a patre praebitisque annuis fraudavit, per speciem publici iuris, quod nihil de his Augustus testamento cavisset.* Ceterum quum Tiberius regnum adeptus sit d. 19 m. Aug. a. 14, ac Iulia eodem anno i. e. iam tribus quatuorve mensibus post obierit, non nimis urgendae sunt istae tragoediae de tabe *longa* deque fraudata praebitis *annuis.*

TACITUS SUSPICAX, PRAEIUDICATA OPINIONE CAPTUS, INIQUUS.

Lib. I Cap. 72. *Nomen patris patriae Tiberius a populo saepius ingestum repudiavit; neque in acta sua iurari, quamquam censente senatu, permisit, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret tanto se magis in*

1) Locus quem citat Paschius e l. IV 71 non ad hanc Iuliam, sed ad neptem Augusti pertinet.

lubrico dictitans. Non tamen ideo fidem faciebat civilis animi; nam legem maiestatis reduxerat. Similiter atque III 64 (vide p. 21) alterius facti laudes obscurat tristitia alterius; facit autem hoc praeter necessitatem, etenim nullo vinculo cohaerent, et, quod gravius est, praeter veritatem, quandoquidem Tiberius legem maiestatis non *reduxit*, sed ut reliquas leges Iulias ita hanc quoque, ratam et Augusto (I 72, Dio Cass. 56, 27, Suet. Aug. 55) exercendam esse dixit (Suet. c. 58). Hoc tantum quaeri oportuerat, num hac lege abusus sit Tiberius; in hanc autem suspicionem nos inducunt, quae leguntur in fine huius capitis; qua de re ulterius videbimus ad II 87.

Cap. 75. *Nec patrum cognitionibus satiatus iudiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret; multaque eo coram adversus ambitum et potentium preces constituta. Sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur.* En sententia Tacitea: brevis et acuta, sed perspicua omnique numero absoluta, eadem vero periculosissima et ex illarum genere, quae pro arbitrio scriptoris infamiam aut gloriam perpetuam pariant. Continet duas virtutes duoque vitia, sed hoc ordine ea occurrunt, ut *vitia* collocentur in initio et in conclusione, *virtutes*, quasi compressae inter ambo, non nisi in transitu legantur. Nemo haec legit, quin ei vox *satiatus* duoque ultima verba firmius quam cetera memoriae inhaereant. Imprimis odiosum est illud *satiatus*, quod tiranni imaginem lectori ob oculos ponit, qui delectatur reorum angore, vanis precibus, supplicio et qui post alterum iudicium alterum avide persequitur. Itane Tiberius depingendus? Nihil minus. Praeerat Senatus cognitionibus

pro imperatoris officio; et rationes ob quas ceteris negotiis fere omnibus interesse studebat, ei non dedecori, sed honori vertendas esse, cum Suetonius probat c. 33: *Paulatim principem exeruit praestititque, etsi varium diu, commodiorem tamen saepius et ad utilitates publicas proniorem. Ac primo eatenus interveniebat ne quid perperam fieret. Itaque et constitutiones senatus quasdam rescidit et magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium* e. q. s., tum efficitur ex hoc ipso Taciti loco; assidebat *in cornu* ob modestiam, *ne praetorem curuli depelleret*, eiusque praesentia eo valebat ut humilioribus aequa contentio esset cum ditioribus et potentioribus, utque *ex veritate*, non pro iudicum gratia, sententia ferretur. Habemus praeterea de novem prioribus regni annis hoc disertum ipsius testimonium IV 6, 7: *Sua consulibus, sua praetoribus species, minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu .... corporum verbera, ademptiones bonorum aberant. Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus, ac si quando cum privatis disceptaret, forum et ius.* — Uti autem damnandum est vocabulum *satiatus*, ita non magis placent ultima verba: *sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur;* etenim non video quomodo libertati obesse possit id, quo cavetur veritati ac iustitiae.[1]) Confirmant haec quod modo proposui, scriptorem studio non omnino vacuum, sed irretitum vulgari eaque iniqua opinione, ad opus aggressum esse.

---

1) Bakius ad Cic. de Leg. I, 1 pro *veritati* legendum coniecit *severitati*, praeter codicum auctoritatem.

In eodem capite narrat Tiberium duorum civium paupertati, Senatoris et viri praetorii, de suo subvenisse; sed quum plures idem peterent, probare eos causam Senatui iussisse. Iustum, dicas, prudensque consilium. Atqui Tacitus: *cupidine severitatis*, ait, *in iis etiam quae rite faceret acerbus. Unde ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio praeposuere.* Animadversio importuna et veritati contraria. *Importuna;* est enim illud nequaquam severi vel acerbi, verum sapientis moderatoris decretum, qui nolebat intempestiva largitione opes publicas diffundi; quod ipse aliquando in Senatu his verbis expressit II 38: *si, quantum pauperum est, venire huc et liberis suis petere pecuniam coeperint, singuli numquam exsatiabuntur, respublica deficiet.* Est autem *veritati contraria* in eo, quod dicit ceteros silentium paupertatis confessioni praetulisse. Nostro tempore laus esset non dedecus, talem civibus pudorem iniecisse; sub imperio ne vel Tacitus id sentiebat. Quidquid est, fallitur; nam ii tantum confessionem paupertatis suppresserunt, quos fassos esse non iuvaret quippe beneficio indignos; et vel hi non omnes, uti mox Hortalus. Dignis autem non querentibus etiam subveniebat II 48. *Magnificam in publicum largitionem auxit Caesar haud minus grata liberalitate:* nempe bona feminae locupletis intestatae, petita in fiscum, Aemilio Lepido, et divitis Equitis R. hereditatem, *quamquam ipse heres in parte legeretur,* M. Servilio tradidit, *quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum compererat* (attende religiosam eius curam), *nobilitatem utriusque pecunia iuvandam praefatus .... Ceterum ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes Vibidium Varronem* cet. *movit Senatu aut sponte cedere*

passus est. Pariter II 37: *Censusque quorundam Senatorum iuvit.* Sed tum ita pergit: *Quo magis mirum fuit quod preces Marci Hortali, nobilis juvenis, in paupertate manifesta superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensii, illectus a divo Augusto liberalitate decies sestertii* (100.000 flor.) *ducere uxorem.* Haec pecunia erat consumta. Itaque quatuor filiis ante limen curiae adstantibus, loco sententiae, erat enim Senator, flagitare coepit a Caesare subsidium vitae. Ei recusat Tiberius: *Aerarium, si ambitione exhauserimus per scelera supplendum erit. Dedit tibi, Hortale, divus A. pecuniam, sed non compellatus nec ea lege ut semper daretur. Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes: et securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves .... Daturum liberis eius ducena sestertia singulis qui sexus virilis essent.* Iam vero quid in his mirandum est? Tiberii ratio an potius turpitudo Senatoris Romani qui coram liberis collegisque stipem rogare non reformidaret? [1])

Cap. 76. *Eodem anno* (p. C. 45) *continuis imbribus auctus Tiberis plana* (Ritterus *per plana*) *urbis stagnave-*

1) Tiberium alias quoque in rebus pecuniariis minime avidum sed si quis unquam fuisse liberalem; praeter locos citatos docent III 18, IV 64, V 45. Ann. IV 10 quum publicata Sabini bona fisco data esse refert, addit: *ea prima Tiberii erga pecuniam alienam diligentia fuit*; alterum exemplum exstare videtur VI 19, quocum tamen confer. Dio 58, 22. Denique subiicio Dion. 57, 10: *ἐλάχιστα γὰρ ἐς αὑτὸν δαπανῶν πλεῖστα ἐς τὸ κοινὸν ἀνήλισκε .... πολλὰ δὲ καὶ ἰδιώταις ἐπαρχῶν .... οὐ μέντοι καὶ ἀκρίτως τοῦτο ἐποίει* et quae sequuntur lectu dignissima. Eiusdem verba in 57, 17 sub fin. et 58, 91 s. f.

rat; relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus ut libri Sibyllini adirentur. Renuit Tiberius perinde divina humanaque oblegens: sed remedium coërcendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum. Subrides haec legens, neque oblata occasione eiusmodi calamitatis remedium cum Tacito petes e libro quodam sacrato, sed manus operi admovebis cum Tiberio, qui in re simili similiter egit atque proavus ille Claudius Pulcer, qui „non pascentibus in auspicando pullis ... mari demersis, quasi ut biberent quando esse nollent, proelium navale iniit." Suet. 2. Suspicatur autem Tacitus renuisse imperatorem, quia contemneret libros Sibyllinos eorumve effata vereretur. At neutrum cadit in eum qui a. p. C. 32 de novo Sibyllae libro inter ceteros recipiendo more maiorum per magistros collegii et in frequenti Senatu inquisitionem institui iussit VI 12. Recte Dio Cassius 57, 14: οἱ μὲν ἄλλοι ἐν τέρατος λόγῳ καὶ τοῦτο ... ἐλάμβανον, ἐκεῖνος δὲ (Tiberius) δὴ νομίσας ἐκ πολυπληθίας ναμάτων αὐτὸ γεγονέναι πέντε ἀεὶ βουλευτὰς κληρωτοὺς ἐπιμελεῖσθαι τοῦ ποτάμου προσέταξεν, nisi quod haereas de quinque magistratibus ordinariis pro duoviris extra ordinem nominatis, quos memorat Tacitus (vid. Ruperti ad h. l.)

Ibidem. — Non minus suspicax est in iis quae sequuntur: *Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, praesedit Drusus, quamquam vili sanguine nimis gaudens; quod in vulgus formidolosum et pater arguisse dicebatur. Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant: alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii et metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset.* Valet profecto de ipso quod c, 62 de Tiberii

erga Germanicum voluntate declarat: cuncta Tiberii in deterius trahit. Vides enim nec filii praesentiam neque absentiam patris commemorari nisi addita quadam suspicione, ex qua neutrum honesta de causa egisse efficias; nec tamen innocentissima causa, soilicet cuiuscumque generis ludos moribus Tiberii repugnasse, longe fuerat quaerenda, quin non latuit ipsum Tacitum, qui de re prorsus simili, de histrionum ludis, ita scribit c. 52: *Neque Augustus abhorrebat talibus studiis et civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Alia Tiberio morum via. Sed populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.* Quid in eo vituperandum, nisi quod prudenti imperatori mores nonnumquam ad vulgi studia informandi sunt?

Sed dicat aliquis: Tacitus nihil reprehendit, refert tantum aliorum explicationes. Sic sane videtur; verum attende, quaeso, hanc frequentissimam eius rationem, ubi mens ac voluntas Tiberii quaqua in re indaganda est. Enarrat rem; quaerit cur sic egerit. Iam exspectas prudens acutissimi scriptoris indicium; frustra. Refert tantum aliorum suspiciones vulgo parum honorificas, quas rarissime examinatas in dubium vocat (uti in sqq. *non crediderim* etc.; III 16), rarius etiam refutat, uti IV 11. Plerumque gravissimae quaeque manent indubitatae, dum tota narratio ita componitur ut, quid Tacitus sit ratus, facile intelligatur, utque lector in opinionem adducatur, nulli non flagitioso proposito parem fuisse Tiberium. [1]) Confirmabunt haec quae monebimus ad c. 80 II 43 sqq. cf. IV 57. III 64.

1) Rectissime Merivale History of the Rom. under the Empire, ed.

Cap. 80. *Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia ac plerosque ad finem vitae in isdem exercitibus aut iurisdictionibus* [1]) *habere.* Hanc rationem luxuriosis avidisque Patriciis importunam, commodissimam fuisse provinciis, cum per se manifestum est, clamatque prospera earum conditio regnante Tiberio (de qua vide Philo Iud. Leg. in Cai. 2, Becker-Marquardt III 294 et Merivale V 411), tum noster haud obscure significat in libro IV 6; ubi persequens virtutes Tiberii, his annumerat quod *res suas spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat; semelque adsumpti tenebantur prorsus sine modo, cum plerique isdem negotiis insenescerent.* [2]) . . . *Et ne provinciae novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat: corporum verbera, ademptiones bonorum aberant.* Cff.

---

min. V 916, relata Taciti narratione ex III 15, ita pergit: and such it must be remarked, is too frequently his habit, — to be excused perhaps only from the paucity of thrustworthy documents in his reach —, to insinuate the truth of popular rumour *under pretence of merely recounting them.* It is not too much to assert, that hė really means us to believe most of the stories, he thus repeats under the protest that he cannot vouch for them.

1) Becker-Marquardt III 296 vestigiis insistens Ernestii et Ruperti *iurisdictionibus* intelligit provincias *proconsulares* sive Senatorias; idem vero p. 295 horum magistratus ait vulgo annuos fuisse; non quidem deerant exceptiones uti C. I. Gr. n⁰. 2870, 3516, 3517, 2562, 2570 sed hae omnes sunt post-Tiberianae. Quocirca *iurisdictiones* potius cum Nipperdeio intelligendae sunt *provinciae Caesaris minores*, de quibus vide Becker II. p. 299.

2) *Res suas mandabat*, indicantur omnes magistratus nominati ab Imperatore, uti in loco superiore; neque excludendi sunt *legati pro praetore* cum Nipperdeio sed assumendi cum Ernestio et Ruperto.

II 47, IV 13.[1]) Itaque inania sunt et paene dixerim malevola — nisi nossem Tacitum veram suam mentem expressisse — quae modo citatis verbis ex I 80 subiungit: *causae variae traduntur: alii taedio novae curae ... quidam invidia, ne plures fruerentur; sunt, qui existiment, ut callidum eius ingenium ita anxium iudicium* e. q. s. Horum suspicionum prima, si aliis eam in mentem venire licuit, a Tacito referri non debuerat, quo nemo melius noverat Tiberium maiorem regni partem nimia diligentia potius quam remissione peccasse, e. g. c. 75 et IV 13. *At Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro solaciis accipiens, ius civium, preces sociorum tractabat* [2]) Altera, *ne plures fruerentur* i. e. ne plures locupletarentur provinciarum opibus, si rite explicatur, non denotat invidiam aliudve vitium sed prudentiam Imperatoris, qui suam agendi rationem hac verissima comparatione explicare solebat: noli deturbare muscas vulneri insidentes, ne advolantes aliae novo ardore sanguinem exsugant. Iosephus A. I. 18, 5. Ad tertiam suspicionem, qua tangitur Tiberii iudicandi tarditatem, confer eundem ll.: μελλητὴς, εἰ καί τις ἕτερος βασιλέων ἢ τυράννων; apud nostrum aggravatur nonnihil additis illis *ut callidum eius ingenium*, quod in tam subtili scriptore nequaquam praetervidendum est. Quantae vero ineptiae divulgarentur

---

1) Cf. Dio Cass. 57, 10 in fine: *ὅτι κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ᾽ οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι.*

2) Dio Cassius de extrema senectute 57, 23: *τὰ γὰρ ἄλλα πάνυ πάντα δεόντως διῴκει κ τ λ.* Idem de Consulatus temporis spatio dicit *τοὺς μὲν ἔτι καὶ θᾶσσον τοῦ τεταγμένου ἀπήλλασσε, τοῖς δὲ καὶ ἐπὶ πλεῖον ἄρχειν ἐδίδου*; illud, opinor, ut si magnus esset Candidatorum numerus, plures fruerentur.

crederenturque a nonnullis, exemplo est Dio Cassius 58, 13, qui ideo plerosque in munere consenuisse scribit, quia successores propter caedes nimirum defuissent, *ἀπορίᾳ τῶν διαδεχομένων*; istiusmodi apertum mendacium ipse Tacitus commemoratione dignum non censuit, memor eorum quae attulimus e IV 6: *corporum verbera, ademtiones bonorum aberant.* Cf. IV 11.

Cap. 81. Tradit Tiberium consules non, ut Augustum, ipsum designasse, sed per comitia creandos curasse eaque in re cum cura versatum esse. Re narrata adicit: *speciosa verbis re inania aut subdola.* Fuerint haec inania; sed princeps reipublicae instituta vindicans, aut in usum revocans, laudem, non obliquam reprehensionem erat meritus; ac *subdola* non erant. Cur dolo et per ambages affectare voluisset quod patris exemplum imitatus ultro assequi potuerat?

Lib. II. Cap. 52. Victis Numidis a Furio Camillo *multos post annos Furio nomini partum est decus militiae — Eo pronior Tiberius res gestas apud Senatum celebravit: et decrevere Patres triumphalia insignia, quod Camillo ob modestiam vitae impune fuit.* Invidiosissima clausula, quae lectori intelligendum relinquit, Tiberium vulgo invidisse honoribus, quos ipse per Senatum tribuerat, et hos plerumque iis qui acceperant exitio fuisse. Attamen nihil magis a veritate remotum est. Tributum est illud decus praeter Camillum, quantum reperire potui, A. Caecinae, L. Apronio, C. Silio ob res cum Germanico gestas I 72; Cn. Lentulo, L. Domitio IV 44 et P. Sabino IV 46. His omnibus impune fuit nisi uni

Silio, qui adversarius Seiani, cui imprudenti iactantia potestatem sui dederat, huius machinationibus absumtus est IV 18. Itaque si quis forte hunc honorem adeptus postea, uti Silius, aliam prorsus ob causam in crimen vocatur, id e Taciti mente Imperatoris invidiae vitio vertendum est; si vero, ut reliqui omnes, incolumes fato funguntur, id factum paene invito principe, atque, ut ait de Sabino, *nullam eximiam ob artem, sed quod par negotiis neque supra erat*, vel, ut nostro loco, *ob vitae modestiam.*

Eandem iudicii inconstantiam et ambiguitatem reperimus in l. III 36—38. Absente patre in Campania Drusus repressit hanc licentiam, ut nocentissimi quique arrepta principis imagine, impune dimitterentur. Simul duo equites, qui fictis criminibus praetorem petiverant *auctore Principe ac decreto Senatus puniti. Utrumque in laudem Drusi trahebatur, qui luxuriosus quidem, non tamen* (scil. ut pater) *solus et nullis voluptatibus avocatus moestam vigilantiam et malas curas exerceret. Non enim Tiberius non accusatores fatiscebant. Et Ancharius Priscus Caesium Cordum, pro consule Cretae, postulaverat repetundis, addito maiestatis crimine quod tum omnium accusationum complementum erat. Caesar Antistium veterem e primoribus Macedoniae, absolutum adulterii increpitis iudicibus, ad dicendam maiestatis causam retraxit, ut turbidum et Rhescuporidis* (Thraciam perturbantis, vide sqq.) *consiliis permixtum.* Vide quam parum in his sibi constet. Licentiam illam amplectendarum imaginum a filio et senatu refrenatam esse *non* annuente Tiberio, cum per se tum ob frequens literarum commercium inter absentem principem et Senatum c. 35, vix credibile; porro

falsos istos accusatores punitos esse ait *auctore* principe. Si igitur utraque res laeta per Drusum quidem, sed patris auctoritate facta est, cur in unius Drusi laudem trahitur. Sane, refert hoc non ut suam sed ut vulgi opinionem [1]), hanc vero aut non retulisse aut correxisse aequi fuerat historici. Pergo. Quum modo dixit Tiberium falsos delatores repressisse idque Drusi nomine laudavit, continuo reprehendit eius *malas curas*, quod neque ab accusando ipse desisteret, neque alios cohiberet; sed vide quomodo hoc probet: refert duas condemnationes: alteram repetundarum rei (cf. III 70), alteram seditiosi Macedonis. At vero taliane crimina obliterare boni principis esse aestimabat? Etenim, aut provinciarum oppressores et revum novarum auctores Tacito absolvendi et, si poenas luunt, miserandi sunt, aut Tiberius ob has damnationes ei laudandus fuerat, non reprehendendus. Tertium non datur. Sed pone eas improbandas fuisse, quae tamen est illa iustitia, quae quidquid boni accidit absente Tiberio in aliorum laudem, quidquid mali in ipsius vituperationem commemoret?

Cap. 84. Tiberii nurus Livia *duos virilis sexus simul enixa est. Quod rarum laetumque etiam modicis Penatibus, tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit, quin iactaret apud Patres nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam.* Est gloriola in patre avoque et praesertim in principe facile excusanda, quamque nemini non comprobare potius quam cavillari libebit. Itaque insulsa et morosi censoris sunt quae noster addit:

1) De hac eius ratione vidimus p. 28 ibique in annot.

nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat. Tiberium a quavis ostentatione remotissimum fuisse omnes consentiunt (locos vide infra p. 36); probat autem illa animadversio quam penitus praeiudicata de Tiberii perversitate opinio Taciti menti inhaereat, ita ut innocentissima quaeque in illius contumeliam vertenda esse putet.

IV cap. 37 sqq. *Per idem tempus Hispania ulterior, missis ad Senatum legatis, oravit ut exemplo Asiae*[1] *delubrum Tiberio matrique eius strueret. Qua occasione Caesar, validus alioqui spernendis honoribus et respondendum ratus iis, quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, huiuscemodi orationem coepit.* Sequitur oratio, in qua memorabilia sunt haec verba: ***Ergo me, patres conscripti, mortalem esse et hominum officia fungi satisque habere si locum principem impleam****, et vos testor et meminisse posteros volo: qui satis superque memoriae meae tribuent, ut maioribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Haec mihi in animis vestris templa, hae pulcerrimae effigies et mansurae. Nam quae saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, cives et deos ipsos precor, hos, ut mihi ad finem usque vitae quietem et intellegentem humani divinique iuris mentem duint, illos, ut, quandoque concessero, cum laude et*

---

1) Asiae urbes punito procuratore, qui provinciam vexaverat, gratum animum significaverant decernendo templo Tiberio, matri et Senatui IV 15, 55; his non adversatus erat, *quia cultui,* inquit, *meo veneratio senatus adiungebatur.* c. 37.

bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur. Itaque recusavit templum *perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum.* Re narrata Tacitus non suo, sed, ut solet in re dubia (vid. p. 28, 33), aliorum nomine causas profert, cur Tiberius sic egisse videatur: *Quod alii modestiam, multi, quia diffideret* (sc. num semper dignus illo honore videretur), *quidam ut degeneris animi interpretabantur: optumos quippe mortalium altissima cupere; sic Herculem et Liberum apud Graecos, Quirinum apud nos deum numero additos. Melius Augustum, qui speraverit. Cetera principibus statim adesse; unum insatiabiliter parandum; prosperam sui memoriam. Nam contemtu famae contemni virtutes.* Ergo tres causae proferuntur: prima laudabilis, altera non inhonesta, tertia turpis. Tacitus in re ambigua quid ipse sentiat, non aperit; attamen, quibuscum faciat, eum, qui Tacitei stili gnarus est, non latet. Etenim laudabiliores causas, *modestiam* et *quia diffideret*, uno tantum verbo communicat, adeo ut ad has vix attendas; deteriorem contra explicat tam copiose, ut ipsum ceteris hanc longe praeferre multoque plus ponderis huic tribuere appareat. At cuiusmodi rationibus deterior illa explicatio superstruitur? Respondere non dubito: ineptis, atque indignis, quas Tacitus commemoraret, ne dicam probaret. Quid, quaeso, recusatio divini cultus per vitam, quid commune habet cum animo degeneri? aut haec duo adversa fronte sibi opponenda sunt, aut, hercle, efferenda est illorum magnanimitas, qui prae reliquis divinos honores ambierunt, Caligulae nempe, Claudii, Neronis, aliorumque. Quod autem attinet comparationem cum Hercule, Libero, Qui-

rino, quam in tali quaestione apud rhetorem non improbamus, ea hoc loco nihil ad rem et vehementissime claudicat, etenim ne credulissimo quidem heroum cultori quicquam probat, quoniam iis non viventibus, aut ipsorum permissu, sed mortuis demum divini honores sunt tributi. Porro, qui contendit Augustum sui cultum admisisse, non de causis, quae dicuntur, politicis, sed quia *speraverit*, scil. se tali decore aliquando fore dignum, is illius indolem parum perspexit. Denique, iuxta ponas, quaeso, argumenta ethica, quae Tiberius in oratione, atque ea quae *quidam* illi, quibus scriptor patrocinatur, protulerunt (*contemtu famae virtutes contemni*), et videas utrius sententiae morali palma tribuenda sit. Ni fallor Tiberii. Igitur conclusio denuo haec sit necesse est: Tacitus praeiudicio captus de constanti principis perversitate, etiam recte facienti ei diffidit; et potius quam laudat, aut rem silentio praeterit, se ipse ac lectorem decipit ratiunculis, quae nemini non examinanti inanes videri debeant.

Quoniam vero modo hanc quaestionem tetigi, subiiciam exempla, quae testantur Tiberium cuiusvis honores assiduo aspernatum esse, idque addito plerumque solenni quadam sententia, ut erat ingenio meditabundo et rhetoricae artis studiosissimus cultor. I 72: Recusat nomen patris patriae neque in acta sua iurari sivit, *„cuncta mortalium incerta, quantaque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico" dictitans*. Sensus horum verborum prorsus similis est eorum, quae modo adscripta dictaque sunt decem annis post. Tum II 87: *Neque tamen ob ea* ***parentis patriae*** *delatum et antea vocabulum adsumpsit, acerbeque increpuit eos, qui* ***divinas occupationes*** *ipsumque dominum dixerant.* III 47: *Decrevere patres vota pro reditu eius sup-*

plicationesque et alia decora. Solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, absurdam in adulationem progressus, censuit ut ovans e Campania urbem introiret. Igitur secutae Caesaris literae, quibus se non tam vacuum gloriae praedicabat, ut, post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in iuventa aut spretos triumphos, iam senior peregrinationis suburbanae inane praemium peteret. Et VI 2: Togonius Gallus orabat eum, ut deligeret Senatores, *ex quibus XX sorte ducti et ferro accincti, quotiens Curiam inisset, salutem eius defenderent.* Quod Tiberius cum senatoribus derisit et abnuit dicens inter alia: *neque vitam sibi tanti si armis tegenda foret.* Quae autem sibi noluit, ea matris nomine quoque negavit, I 14; V 2. Intercessit etiam ne mensis September *Tiberius* vocaretur, Suet. 26, 27. Dio Cass. 57, 8 sq. Docent haec exempla eum decora et honores per se flocci non fecisse, eaque respuisse, cum hanc ob causam, tum quia ab adulatoribus vulgo offerrentur, maxime vero quod noverat auram popularem, levem et mutabilem, quo quem altius extulerit, eo citius ex honoris fastigio detrudere; sentiebat autem sibi deesse illas facultates quibus Caesar et Augustus populi favorem sibi ad vitae finem usque servaverant.

CAUSA LIBONIS DRUSI.

Lib. II. Cap. 27—32. Quum haud minimam odii partem maiestatis quaestionibus sibi contraxerit Tiberius, unam ex iis tractabo, in qua enarranda omnes artis suae nervos scriptor intendit; quod ita faciam, ut facta probe distinguam a verbis et sententiis, quibus ille ea involvit.

Libonem Drusum e familia Sciboniorum, iuvenem *improvidum et facilem*, Firmius Cato Senator, intimus eius amicus libidinumque et luxuriae socius ad res novas sollicitat. Libo, affinis Augusto per amitam Scriboniam, eo adducitur ut per magos futura temptet, spem imperii concipiat. Tum Firmius aditum ad principem postulat, ut huic Libonis crimina demonstret. Quid princeps? Aditum non concedit nec Libonem inter reos recipi iubet, immo ornat eum praetura, et convictibus adhibet. Verum Libo a conatibus non desistit et post annum a Iunio quodam mago petit ut infernas umbras carminibus eliciat. Iunius rem defert Fulcinio Trioni senatori notissimoque causarum patrono; hic statim corripit reum, adit, non principem, sed consules, cognitionem Senatus poscit. Redintegratam accusationem Tiberius non repellit; proferuntur libelli, quos ille recitat in senatu *ita moderans ne lenire neve asperare crimina videretur*. c. 29. Negante reo, non agnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere senatusconsulto quaestio in caput domini prohibebatur, Tiberius singulos actori publico mancipari iubet ut in Libonem ex servis salvo Scto quaereretur. Tum reus petit posterum diem, sed insequenti nocte in gladium incumbit. Accusatio tamen apud Patres peracta est; iuravitque Tiberius petiturum se vitam fuisse quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset. [1]) Bona inter accusatores dividuntur, quum nec liberos

1) Plus semel crimine convictos impunes demisit, poenamve levavit, dictus inde *prudens moderandi si propria ira non impelleretur*. III 24, 69; IV 30, 31. Ne inquiri quidem voluit in socios Pseudo-Agrippae II 40.

neque uxorem reus reliquisset. [1]) Remoto seditionis periculo, nobilissimi quique Romani certatim gratulationibus adulationibusque imperatorem adoriuntur.

En causa Libonis, quam breviter sic refert Suetonius 25: *L. Scribonius Libo vir nobilis res novas clam moliebatur. . . . Libonem, ne quid novitate acerbius fieret, secundo demum anno in Senatu coarguit e. q. s.* [2]) Dicas Tiberii culpam hac in re nullam fuisse. Aliter Tacitus; brevissimis additamentis Tiberio odium, Liboni misericordiam nostram conciliat, in hunc modum: abnuit quidem Tiberius congressum cum Firmio, sed, uti addit, *indicium haud aspernatus* est. Porro, utitur quidem reo familiariter per annum, id vero fecisse eum dicit, quia *iram reconditerat, cunctaque eius dicta factaque p r o h i b e r e q u u m p o s s e t, scire malebat.* Ex his efficias Tacitum maluisse, ut Tiberius illius dicta factaque prohibuisset; sed quomodo hoc perficere potuisset, nisi per vincula aut custodes? At hoccine Tacitus probasset? Credat Iudaeus Apella. Quid tamen restiterit, si nec libere circumire nec custodiri oportuit Libonem, ignoro. Porro: *Scire malebat:* attamen custodes non addixerat Liboni qui eius verba factaque deferrent, quae ad ea cognoscenda unica fuisset ratio; praeterea non a principis ministro sed a Mago quodam

---

1) Tum enim quarta tantum pars bonorum accusatoribus (quadruplatoribus) concedebatur. IV 20, III 17.

2) Inepta D. Cassii ratio scribendi historiam, eiusque solertia in rerum causis et nexu perspiciendis satis cognoscitur ex iis quae de Libonis causa prodidit: *Λίβωνα — δόξαντά τι νεωτερίζειν, τέως μὲν ἔρρωτο, οὐκ ἔκρινε, νοσήσαντα δὲ ἐπιθάνατον — ἐς τὴν γερουσίαν ἐσεκόμισε.* 57, 15. De Dionis methodo vid. loculentissima disputatio Naberi in Act. Acad. Reg. Neerl. 1867.

accusatus est, qui adiit Trionem, Senatum, omniumque ultimum Tiberium. Itaque ex omnibus fide dignis indiciis apparet Libonem non principi, sed suae imprudentiae exitium debuisse, et claudicare Taciti descriptionem, quia nusquam non videt simulationem, quam imprimis Tiberii indoli propriam fuisse sibi aliquando persuasit. Iam vide quanta arte affectus lectori moveat, et mirare, simul vero cave Musae illius Πειθώ. c. 29: *Die Senatus* (primoque causae actionis) *Libo metu et aegritudine fessus sive simulato morbo* (!) *lectica delatus ad fores curiae innisusque fratri et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens, immoto eius vultu excipitur.* Quam miserabilis reus! quam immitis tirannus! Deinceps depinguntur c. 30 sq. extremae rei preces, militum strepitus in vestibulo, servi trepidantes, exstincta lumina, tandem *feralibus iam tenebris duo ictus in viscera* directi, aliaque, quae sunt merae tragoediae in commiserationem Libonis iudicumque invidiam compositae.[1]) Porro, quum memoravit Tiberium servos rei actori publico mancipari iussisse, ut in domini caput interrogari possent, addit: *callidus et novi iuris repertor!* Sane, modo ne in contemptum haec dicta essent. Antiquum erat, servos in dominos quaeri de incestu et gravioribus in causis, uti in coniuratione Catilinaria;[2]) novi autem hoc addiderat Tiberius, ut, quod hucusque fiebat per exceptionem, id legitime fieri videretur, erat enim meticulosus rituum observator. At vero in hoc quoque ad

1) Color ille poëticus, quo nihil ad commovendos animos est aptius, in aliorum quoque iudiciorum descriptionibus conspicuus est, e. g. IV 28 et 70. Similem exaggerationem, veritati damnosam, animadvertit Spengelus ll. 711 sqq. in I 25 et 65.

2) Cic. Partit. orat. 34. G. Geib, Gesch. des röm. crim. proc. p. 348.

Augusti exemplum se conformavit, si fides habenda est Dioni Cassio de Augusto dicenti 55, 5: *ὅτι δὲ, οὐκ ἐξὸν ὂν δοῦλον κατὰ δεσπότου βασανισθῆναι, ἐκέλευσεν, ὅσακις ἂν χρεία τοιούτου τινὸς γένηται, τῷ δημοσίῳ αὐτὸν ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι, ὅπως ὡς ἀλλότριος τοῦ κρινομένου ὢν ἐξετάζηται, οἱ μὲν ᾐτιῶντο — οἱ δὲ ἀναγκαῖον αὐτὸ ἔφασκον εἶναι.* — De Tiberio 57, 19.

Denique gratum fuisse Tiberio Libonis fatum eo quoque persuasit sibi Tacitus, quod octo annis post Firmio Catoni, qui Libonem illexerat in insidias, reo falsorum criminum, exilium deprecatus esset: *eius operae memor, sed alia praetendens.* IV 31. Verum exsilium ideo deprecatum esse principem, est mera suspicio, quam nemo facile aut probaverit aut refutaverit, sed quae varias ob causas parum verisimilis esse videtur: primum Firmii poenam non omnino sustulit sed levavit tantum, quo beneficio alios quoque affecit (vid. p. 38 ann.): deinde, Tiberium accusatorem carum habuisse et reum odisse, non confirmatur eo, quod legimus II 28, eum hunc benigne excepisse, illi contra domum auresque clausas habuisse: denique, Taciti argumentum, quia nimium, nihil probat. Etenim si Catus ob praebitam operam remuneratus est post octo annos, cur reliqui accusatores intra hoc spatium minus gratum principis animum experti sunt? Nempe Fontei Agrippae filiae, ad Vestalium sacrorum praesidium a patre oblatae, praetulit Pollionis filiam, solatus illam decies sestertii dote II 86. Tum Trionem ipse ne facundia abuteretur aliquando admonuit III 19. Et, quod adversa fronte pugnat cum loco de Firmio ob accusatum Libonem praemio ornato, Vescularius Flaccus (c. 28) 16 annis post ad mortem actus esse dicitur,

quia olim insidiarum in Libonem internuntius fuerat VI 10.

Igitur hac quoque in re narranda non sine acerbitate scriptorem versatum esse contendo, nec miror eum aliquando appellatum esse „ein Geschichtschreiber der es „versteht Thaten unter Worten zu verbergen." [1])

DICENDI SCRIBENDIQUE LIBERTAS SUB TIBERIO.

Cap. 87. *Neque tamen ob ea* (largitionem in frumenti inopia) *parentis patriae delatum et antea vocabulum adsumsit, acerbeque increpuit eos qui divinas occupationes eius ipsumque dominum dixerant. Unde angusta et lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.* Deprehendimus in his eandem iudicii inconstantiam, quam supra demonstravimus. Quod altera manu porrigit, retrahit altera; ait enim hocce: „Odisti, o Tiberi! servilitatem, sed metuis libertatem, ut quid dicendum coram te, quid tacendum sit, lateat." Est concisa sententia una e multis, quibus Tacitus summus linguae artifex subito nobis Tiberii imaginem ob oculos ponit, qualem sibi informavit: hominem scilicet a reliquis prorsus diversum, bonum simul et pessimum, nemini penitus perspectum, revera monstrum. Nos, pace Taciti, ipsius Annales evolventes inquiremus, num quae sint indicia Tiberium oris stilive libertatem metuisse, ut hoc loco a scriptore arguitur. Collegi locos quantum scio omnes, qui ad hoc caput pertineant.

---

1) L. Spengel in Act. Ac. Bav. VII 714.

Videamus primum de disputandi licentia in foro ac Senatu.

I 13. Libere loquuntur et vel animum Tiberii *suspicacem* perstringunt in senatu Q. Haterius et M. Scaurus. Quid de his Tacitus? *Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio tramisit.* At vero implacabilis ista ira numquam se ostendit; contra sex annis post *Scauro datum* a principe ne Lepidae, flagitiosae mulieris, ex qua filium genuerat, bona publicarentur III 23; perit ille post 20 annos Macronis odio VI 29. *In Haterium statim invectus est* Caesar, sed mitigatur matris precibus; hanc autem reprehensionem non acerrimam fuisse apparet ex I 77, ubi anno post Haterius trib. pl. intercedit pro histrionibus, odiosissimo hominum genere Tiberio; adest Caesar et silet, valetque intercessio; ne vero Tacitus aliquid laudis Tiberio concedere videatur, suo more addit: *ea simulacra libertatis Senatui praebebat:* quasi quisquam sub imperio pristinam reip. libertatem requireret. Porro II 33 sq. narratur libera disputatio de luxu, in qua L. Piso, vir nobilis ac ferox (IV 21), contrariam Tiberio sententiam pronuntians vehementissime exardet: *ambitum fori, corrupta iudicia, saevitiam oratorum accusationes minitantium increpans, abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure testabatur.* Quid ad haec Tiberius? *Commotus est et quamquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque eius impulit ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent.* Haec profecto ultra, quam a mitissimo gubernatore exspectari possint. Nec minus aequum et mitem principem ostendunt quae sequuntur. Idem ille Piso matris Tiberii familiarem Urgulaniam in ius vocat; Augusta „violari se et imminui"

querente, Tiberius se iturum dicit ad tribunal et affuturum Urgulaniae, eoque progreditur: Caesar *spectabatur occursante populo, donec, propinquis Pisonem frustra coërcentibus, deferri Augusta pecuniam quae petebatur iuberet. Isque finis rei; ex qua neque Piso inglorius et Caesar maiore fama fuit.* [1]) Progredior ad II 35. Dixerat Caesar se aliquamdiu afuturum esse, itaque quaerebatur num absente principe senatus haberetur. Cn. Piso *ob id res magis agendas censebat,* Gallus contra nihil satis illustre esse *nisi coram et sub oculis Caesaris.* Huic disputationi, *quae magnis utrinque contentionibus acta est,* interest Tiberius, audit et silet. Brevi post etiam *Gallo certamen,* i. e. altercatio in senatu, *adversus Tiberium exortum est* (c. 36).

Haec nimirum exempla satis indicant, *παρρησίαν* in Senatu minime nullam fuisse. [2]) Atqui id ipse scriptor affirmat de novem primis regni annis sic testatus IV 6: *Iam publica negotia et privatorum maxima apud patres*

---

1) Piso octo annis post a Granio accusatus est maiestatis receptusque reus, sed causa non peracta est ob mortem opportunam IV 21. Tiberium tum, ut T. suspicatur, renovasse iras, quarum praesenti in re nec vola nec vestigium apparuerat, non credo.

2) Quominus hanc dicendi libertatem potius tribuamus Senatorum audaciae ac fortitudini quam Imperatoris patientiae, obstant notissima eorum ignavia et adulandi studium. Ita III 32, 35 Tiberius absens per literas petit a Senatu ut Africae proconsulem deligant; rescribunt, *ut Caesar legeret cui mandandum foret.* Tum *castigatis oblique patribus quod cuncta curarum ad principem reicerent,* duos nominavit e quibus legeretur. Verum fuisse, quod Tiberius quotiens curia egrederetur dixisse fertur: *O homines ad servitutem paratos!* III 65, apparet ex hisce locis: III 18, 47, 49, 50, 57, 70, 72; I 7; II 32, 37; IV 8, 69, 74; VI 2, 7. Suet. 27.

tractabantur, dabaturque primoribus disserere et in adulationem lapsos cohibebat ipse.

Transeo ad privatorum sermonum libertatem. Sane quamdiu lex maiestatis vigebat, delatorum proles succrevit, quorum tristissimo ardore ne privatorum quidem sermones erant tuti. Sed iusti ut simus, non praetermittendum est, hos omnes — praeter eos qui auctore Seiano Iuliae gentis subolem perdiderunt — non Caesaris mandatu sed suo Marte (cf. II 34) egisse Tiberiumque eos quantum poterat coercuisse. Scribit de ea re Tacitus I 73: *quanta Tiberii arte gravissimum exitium* (sc. delatio) *irrepserit, dein repressum sit, postremo arserit, cunctaque corripuerit* rel.; at is in eo fallitur, quod delatio non irrepsit sub Tiberio, sed iam Augusto regnante delatorum copia suppetebat; iustus vero in eo est, quod repressam esse dicit. [1]) Sed quidquid est, deferebantur sermones e lege maiestatis Iulia (vid. p. 23), ut quaerendum sit num delatos severe habuerit Tiberius. Occurrit primum exemplum I 74. Marcellus insimulatur sinistros de Tiberio sermones habuisse, quos audiens ubi recitantur, primum vehementer exardet — nec mirum, quodsi placido ore audivisset, id sine dubio Tacitus simulationis indicium habuisset — dein vero liberrima Cn. Pisonis oratione placatus, patiens tulit reum absolvi, quod vel Tacitus laudat his verbis: *manebant etiam tum vestigia morientis libertatis.* Alterum exstat

1) III 56. Puniti delatores *auctore principe ac decreto senatus* citantur III 37; VI 3, 4, 7, 10, 30. Dio C. 58, 21. Increpitus IV 36. Non punitus licet convictus fictorum criminum unus V. Serenus IV 36. A delatore accusatus et occisus a Senatu, absente ac nolente Tiberio L. Priscus III 49. Sabinus (delatus a Senatoribus) IV 68 et familia Germanici, correpti sunt non a Tiberio sed a Seiano.

II 50: Mulier, Apuleia Varilla, Augusti sororis neptis, adulterii rea, maiestatis arcessita est a delatore ob probrosos sermones in Augustum, Tiberium et Liviam. Tiberius statim exemit quae *in se iacta* essent eaque in cognitionem vocari noluit; proximo Senatus die petit idem matris nomine, *liberavitque Apuleiam lege maiestatis;* denique adulterii quoque graviorem poenam deprecatus est. Tertio loco apparet e V 2 eum satis diu patientem fuisse erga Fufium Geminum. Hunc Liviae gratia florentem sed dicacem et *Tiberium acerbis facetiis irridere solitum* vivente Livia impune tulit, mortuaque non nisi oblique perstrinxit. Eundem postea, in Seianiano tumultu, ut videtur, exstinctum esse legimus VI 10. Ex his exemplis manifestum est sermocinandi licentiam, invitis delatoribus, iis qui utebantur perniciei non fuisse, saltem per novem primos perque ultimos regni annos; etenim intra haec tempora — i. e. ab a. 23 p. C. n., quum senescens imperator unici filii Drusi obitu afflictus secretum petiit, a quo inde Seianus (interfector Drusi ut post 8 demum annos apparuit) celerrime potestate crevit, ad annum 30 — Tiberium contumeliosos sermones non semper impunes reliquisse, effici posset ex unico exemplo Votieni Montani relegati *ob contumelias in Caesarem dictas* IV 42. Verum in his quoque eum non tam suae voluntati quam subdolis Seiani consiliis inserviisse, docet Titii Sabini iudicium, quem Seiano victimam cadere passus est IV 68, D. C. 58, 1. Nec fortuitum esse potest, primum huiusmodi iudicii exemplum, quod post mortem Seiani offendimus, esse absolutionem Cottae, cui vetuit Tiberius *verba prave detorta* in perniciem verti VI 5. Similiter libera virilisque oratio, qua brevi post M. Terentius

in Senatu suam cum Seiano amicitiam defendit, ei apud infensissimum Seianianis principem non nocuit sed profuit. VI 8.

Egimus de *παρρησία* in Senatu et in tribunalibus deque privatis sermonibus; restat ut videamus, quatenus *carmina* et *libelli famosi* Imperatori iusto acrius bilem moverint. Locorum, huc pertinentium, agmen ducit, qui legitur I 72: *Hunc quoque asperavere carmina incertis auctoribus vulgata in saevitiam superbiamque eius et discordem cum matre animum.* Nimirum asperari conviciis, sive ore sive stilo iactatis, humanum est, neque adeo vitiosum; si igitur reprehensionem continent haec verba, significent oportet, eum nimis indigne talia tulisse avideque ultum esse. Iam vero primum huius rei exemplum quod in Annalibus occurrit, hanc suspicionem non confirmat. Legimus enim IV 31: *His tam assiduis tamque moestis modica laetitia intericitur quod C. Cominium E. R. probrosi in se carminis* convictum, *Caesar precibus fratris, qui Senator erat,* concessit. Hunc ergo, quamquam convictum, non ultus est, sed ei ignovit. Nec vero reliqua exempla illi suspicioni suffragantur. Nam Mamerco Scauro, *insigni nobilitate* sed *vita probroso* non tam versus quidam e tragoedia, quam scripserat, quam *validum ad exitia Macronis odium* et *adulterium Liviae* vitae periculum contraxerant.[1]) Ac pariter vera causa ob quam S. Paconianus praetorius in carcere strangulatus est non fuerunt carmina in principem factitata VI 39, sed quod per illum, *virum audacem, maleficum, omnium secreta ri-*

1) VI 35. Dio Cass. 58, 24 s. f. *οὐ μὴν καὶ ἐπὶ τούτῳ κατηγορήθη, ἀλλ' ὡς τὴν Λιουίλλαν μεμοιχευκώς.* Suet. 61.

mantem, C. Caesari olim dolum paraverat Seianus c. 3. Praeterea paulo infra, c. 30, fertur Lentulus Gaetulicus, legionum in Germania superiore praefectus, accusatus amicitiae Seiani rescripsisse Caesari epistolam, insolita libertate insignem; num idcirco punitus est? Immo mansit *incolumis multaque gratia*, dum poenas dedit accusator. Quam parum autem ultimo regni tempore moratus sit, quid de se scriberent dicerentve, nullum certius testimonium est, quam duo hi loci VI 24 et 38; in quibus legimus eum extrema dicta captivi Drusi III, saevitiae odiique plena et a custode descripta, similiterque odiosa quaedam in testamento Trionis, occultata ab heredibus, ultro patefieri et in Senatu recitari iussisse: *patientiam libertatis alienae ostentans et contemptor suae infamiae, an scelerum Seiani diu nescius, mox quoquo modo dicta vulgari malebat veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri.* [1])

Restat causa Cremutii Cordi historici, qui, in ius vocatus *quod editis annalibus laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset*, ipse sibi mortem conscivit IV 34 sq., cuiusque *libros per aediles cremandos censuere patres.* [2]) Tiberius huic iudicio omnino interfuit, sed eum hic quoque prorsus a Seiano pependisse ab eoque instigatum et corruptum esse, dicam cur credam. Nempe diserte testatur Tacitus Cordum accusatum esse a duobus Seiani *clientibus*, quocum facit Dio Cassius 57, 24 Κρε-

1) Cf. Dio Cass. 58, 25: ἥκιστά τε γάρ αὐτῷ τῶν τοιούτων ἔμελε, καὶ τὰς κατηγορίας καὶ λανθανούσας ἔσθ᾽ ὅτε ἐς τοὺς πολλοὺς ἑκὼν, ὥσπερ τινὰς ἐπαίνους ἐξέφαινεν. κτέ. Idque faciebat is, cuius princeps vitium dissimulatio fuisset!

2) Uti T. Labieni liber sub Augusto, teste Seneca in Controv.

μούτιος δὲ δὴ Κόρδος αὐτόχειρ ἑαυτοῦ γενέσθαι, ὅτι τῷ Σηιανῷ προσέκρουσεν, ἠναγκάσθη; porro aliunde apparet Tiberium sapienti moderatione usum esse erga illos cives, qui amissam rempublicam dolentes, novi regiminis principisque odium prae se ferre data occasione non omittebant; sic e. g. Iunia, Cassii uxor Brutique soror, in testamento *quum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset*, *Caesarem omisit*; id autem non modo *civiliter* accepit, sed ne *prohibuit* quidem, *quominus laudatione pro rostris ceterisque solennibus* (reipublicae luctum ostentantibus, ut e sqq. apparet) *funus cohonestaretur*. III 76. Iam vero, qui horum factis non succensuit, cur triennio post Cremutii verba aegre tulisset, nisi eum pessumdatum esse censeas ab *omnium scelerum repertore* Seiano?

Ut igitur redeat unde deflexit disputatio, fatendum est, Tacitum, quum diceret Tiberium *libertatem metuisse*, non satis distinxisse tempora, illamque reprehensionem, nixam non nisi paucissimis exemplis, non tangere Tiberium sua sponte agentem, sed deceptum et subactum dolosis Seiani artificiis, cuius quanta fuerit potentia et calliditas, commissa ab eo, sed per octo annos Tiberium celata Drusi, filii carissimi, caedes satis demonstrat. [1]) Absolvam hanc quaestionem commemorata

---

1) IV 8 et 11: *Ordo sceleris per Apicatam* (Seiani uxorem) *proditus* est Imperatori (Dio Cass. 58, 11.) a. 31, quum perpetratum esset a. 23, itaque non dubitanter quaerendum est *an scelerum Seiani diu nescius* fuerit VI 38. Quanta autem Seiani potestas, quantum Tiberii obsequium illius esse debuerunt, ut neque illius ministri (IV 11 Eudemus ac Lygdus) per VIII annos de caede quidquam mussitaverint, nec Tiberius quidquam senserit! Quum hoc Seianus efficere potuerit, non mirandum Tiberium ab eo quoque deceptum fuisse fictis Iuliorum criminibus, et omnia cre-

narratione Suetonii de eadem re, e qua Tacitea corrigi possit, c. 28. *Sed et adversus convicia malosque rumores et famosa de se ac suis carmina firmus ac patiens, subinde iactabat in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere; et quondam senatu cognitionem de eiusmodi criminibus ac reis flagitante, Non tantum, inquit, otii habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus; si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitiae hoc praetexto ad nos deferentur.* [1])

---

didisse, quae Seianus ipsi de illis narraret, quos *sua sponte* Seianus perdidit. Vix enim assequi possumus, quantam ille vim atque auctoritatem in eos exercuerit, quorum benevolentiam captare studebat. Afferam exempla: Repudiat uxorem Apicatam, quae tamen eius scelera non prodit, nisi post mortem; stuprat, homo novus et provecta iam aetate, matronas nobilissimas ac multo iuniores, Liviam et A. Lepidam, ut dein harum ope maritos, Drusum II et III, in perniciem trudat (cf. Tac. ll. all. et VI 40 et Dio Cass. 58, 3, qui addit: *πάσας γὰρ ὡς εἰπεῖν τὰς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν γαμετὰς μοιχεύων τά τε λεγόμενα ἢ καὶ πραττόμενα ὑπ' ἐκείνων ἐμάνθανε κτἑ.*) Neronem perdit per fratrem Drusum *spe obiecta principis loci* IV 60. Ut Agrippinam perdat, mutuum eius et Tiberii odium provocat atque alit per *calumniatores* (IV 12, 54, 67 V 3.) Tiberium bonis consiliis et fortuito beneficio sibi devincit IV 7, 59. Patriciis ac Senatoribus utitur tanquam ministris IV 19, 68 sq. VI 8. Unus eum perspexit eique obstitit Tiberii filius, quem statim e medio sustulit IV 3. Hanc Seiani perversitatem et furorem postea demum Tiberius comperit, neque omnino falsa sunt, quae in commentario de vita sua scripsit: *Seianum se punisse, quod comperisset furere adversus liberos Germanici filii sui.* Suet. 61. Eumque tamen sensisse suam fuisse primariam culpam, nil certius probat quam miserrimum epistolae initium apud Tac. VI 6.

1) Eodem ducunt quae refert c. 59 f. Dio Cass. 57, 7, 9 et fabulosa narratio in 13. De Tiberii commutatione sub Seiano cf. c. 19 et 23.

DE TACITO RERUM BELLICARUM SCRIPTORE.

In Taciti iudicio de Tiberio aestimando, non negligenda est diversa utriusque opinio de rerum bellicarum laude et necessitate. Quae res, notata iam in prooemio, nunc diligentius elaboranda est.

Augustus in libello, post mortem prolato, praeter alia consilium memoraverat *coercendi intra terminos imperii* I 11. Dio C. 56, 33. Tiberius autem, qui per 15 annos, interdum cum aliis, plerumque solus, Romanis legionibus praepositus, in quavis imperii parte rem feliciter gesserat perque illud tempus usu cognoverat, expeditiones extra fines vulgo honorificas magis quam fructuosas esse, patris consilium probabat et regni fines in praesens non proferendos, sed tuendos ac stabiliendos esse censebat: hinc consequens erat, eum Germanici expeditionibus in Germaniam — quae multo plus damni quam lucri afferentes ipsius experientiam confirmabant — non admodum gaudere; eumque, quum ille in Asia, Drususque filius in Germania rem sine armis confecissent *laetiorem fuisse, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset*, sqq. II 64; eandem ob causam non subactis sed coercitis Frisiis erat contentus IV 74; idcirco denique et ille et Augustus neglexerunt Britanniam, Agric. 13. Attamen numquam necessarium bellum turpi pace declinavit, [1]) neque inhonesta fraude acerrimo ad-

1) Imperite prorsus Suet. c. 51: Tiberius neglexit *Armeniam a Parthis occupari* (erat contentio inter reges socios Romanorum, cui hi non nisi necessario intercesserunt ad servandos fines imperii, cf. Tac. VI 37—45),

versario liberari se passus est; immo principi Chattorum, *qui mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur*, respondit, *non fraude neque occultis sed palam et armatum P. R. suos hostes ulcisci. Qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque.* II 88. Dolendum est autem quod eadem ratione non usus est erga Rhescuporidem Thracem, quem inanibus legati promissionibus, et regem Archelaum, quem per dolosas matris literas Romam adduci sivit. [1]) Ceterum Augusti illud consilium *coercendi intra terminos imperii* non sine magno imperii commodo secutum esse Tiberium, prospera eius conditio deinceps docuit.

Iam vero Tacitus prorsus contrariam tuetur opinionem. Is nihil aeque admiratur ac bellicam virtutem bellicamque gloriam Principis et imperii. Florens quippe sub Traiano, summo belli duce eodemque felicissimo imperatore, non reputat alias aliter regendum esse. Revera spirat Martem; nihil libentius, nihil copiosius narrat quam bella et proelia, ita ut, dolens *tam pauca* gesta esse regnante Tiberio, nihilominus paucorum, quae gesta sunt, narratione fere quartam operis partem expleverit. Disertis verbis id fatetur IV 33: *ceterum ut profutura* sc. quae ego narro, *ita minimum oblectationis adferunt. Nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum*

Moesiam a Dacis Sarmatisque (immo hi depulsi sunt IV 46 sqq.), *Gallias a Germanis vastari* (hoc omnino falsum).

1) Tac. II 42 et 67: quorum alter, Archelaus, fato functus est (D. C. 57, 17), alter fugam tentans interficitur. Tertius, quem addit Suetonius 37, Maroboduus, sponte principi se obtulit. II 63. Simile factum sub Augusto, Dio C. 54, 32.

exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa rel. Quum autem Tacitus ea esset mente, non mirandum est in istarum rerum narratione desiderari iusti et accurati aestimatoris iudicium. Uti nempe Germanicum, iuvenem bellicosum, nimiis laudibus extollit, ita despicit Imperatorem ab armorum strepitu alienum. Respiciens Traianum, non intelligit qui fieri potuerit, ut Augustus et Tiberius, olim strenui belli duces, mox adepti imperium, quum in extremis finibus arma creparent, Romae manerent, ac dignitatem imperii bellicae gloriae anteferrent, idque nonnisi pessimis de causis explicari posse arbitratur. Consilium illud Augusti nescit utrum *metu an per invidiam* Tiberio sit datum (vid. l. l.) Alibi percenset numerum legionum et quas provincias tutarentur sub Tiberio, ut ostendat, *quanto tunc sit angustius imperitatum* IV 4; et memorabilis praesertim hic locus est IV 32. *Pleraque eorum quae rettuli quaeque referam parva forsitan et levia memoratu videri nescius non sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composivere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges . . . memorabant. Nobis in arto et inglorius labor: immota quippe aut modice lacessita pax, moestae urbis res et princeps proferendi imperii incuriosus erat:* produnt haec sane civem pristinae civitatis gloriae amantem, sed eundem politica prudentia non nimis insignem et ideo parum aeque iudicantem.

Ex eodem fonte manavit alius scriptoris error, quod nempe eas res, quae tum gestae sunt quibusque *immotam aut modice* tantum *lacessitam* esse pacem declaravit, tanta cura tamque copiose narravit, ut imperii sor-

tem ex iis pependisse crederes. E. g. seditio legionum in Gallia, incepta et oppressa intra duos tresve menses,[1]) et a Dione Cassio tribus capitibus enarrata (57, 4—6), apud illum XXXVII capita 16—53, i. e. dimidiam fere partem prioris libri, implet, ita ut tota res ad unguem cognoscatur. Similiter libri II maior pars in rebus bellicis, Germanici praesertim expeditionibus, enarrandis versatur c. 1—27, 41—46, 56—58, 62—68 et passim, quae omnia aut omisit, aut in transitu commemoravit Dio Cassius. In l. III et IV pauca proelia; at in l. VI motus orientis, quos Dio complectitur uno capite 58, 26, explicantur copiosissime 31—37 et 42—45.

Multum abest, ut hoc studium, hanc curam Taciti in rebus exterarum gentium persequendis, non laudi ei ducam, quippe cui studio gravissimas earum notitias ac praeter annales pulcerrimum opusculum debeamus de populis Germaniae. Atqui aliud est, quod non laudo. Vituperat nempe Tiberium, quod seditionibus illis ac motibus — quibus tamen ipse, ut vidimus, pacem vix *lacessitam* esse fassus est — non tantum ponderis tribuit nec tantopere iis perterritus est, quantum creduli pavidique Romae incolae; atque hanc imperatoris securitatem, dubitanter quidem ut assolet et per rogationes, attamen satis manifesto, pravis vilibusque causis partam esse significat. Proferam exempla: III 44: Facta defectione quarundam Galliae civitatum *Romae cuncta, ut mos famae, in maius credita:* increpant Tiberium, quod non

1) Incepit enim medio mense Augusto a. 14, et, antequam in hiberna tetenderunt, sedati legionarii duce Germanico irruptionem in Germaniam fecerunt I 50.

ipse exiit oppressum seditiosos; at hic Romae manet, longa experientia doctus, tumultum primo legionum impetu exstinctum iri, ut revera brevi accidit, dum Gallorum duces sua manu cecidere. Deinde scriptor sic pergit: *Tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatui scripsit, neque dempsit aut addidit vero, sed fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse. Simul causas cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinem imperii extollens, neque decorum principibus si una alterave civitas turbet, omissa urbe unde in omnia regimen* (deesse videntur verba) c. 47. Tacitus autem, non contentus hac simplicissima causa [1]) sed in Tiberio omnia e vitio potissimum explicanda ratus, antequam illam causam retulit, hanc quaestionem retinere non potuit: itane egit *altitudine animi* (i. e. impenetrabili dissimulatione Hist. IV 86) *an compererat modica esse et vulgatis leviora?* At hanc quaestionem iam ipse praeciderat, quum scriberet *Romae cuncta in maius credita* esse. Similis reprehensio in re simili legitur I 24: *Haec audita*, sc. seditio legionum in Pannonia, *quamquam abstrusum et tristissima quaeque maxime occultantem, Tiberium perpulere ut Drusum filium cum primoribus civitatis duabusque praetoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum.* Cur dicitur *abstrusus* et *occultans?* Nimirum quia coram credulis anxiisque civibus rem merito tanquam levem nec magni

1) Quam rationem in re prorsus eadem iterum secutus est Tiberius I 47: *immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit non omittere caput rerum neque se remque publicam in casum dare.*

momenti tractabat; at *fecit* ea, quae res poscere videbatur quibusque motus brevi exstinctus est. Tertium occurrit eadem animadversio IV 74: *Clarum inde inter Germanos Frisii nomen* (qui tributum negantes, a propraetore Germaniae profligati non tamen subacti erant), *dissimulante Tiberio damna ne cui bellum permitteret.* Verumtamen non dissimulavit damna, sed utpote levissima, nempe negatum tributum, ea levius tulit, quia non nisi maioribus damnis resarciri posse intellexit. Nec verum est eum bellum aliis permittere noluisse, sed, quum ter bellum permisisset nuper Germanico, nullo eventu nisi ut ingens vis pecuniae, equorum, navium, militum perierit (cf. I 70, 71), quae damna suppleverunt Galliae, Hispaniae, Italia (II 23 sqq.)., merito a bellando erat deterritus. Itaque Augusti consilii suique tenax, tutatis finibus fuit contentus, qui ab hoc inde tempore, a. 28, ad finem eius regni a Germanis non amplius infestati sunt.

Horum igitur omnium quae attulimus conclusio haec est, bellicosum scriptorem principem pacificum immeritis reprehensionibus petivisse.

AMICI TIBERII.

Lib. IV. Cap. 20. Miratur Tacitus M. Lepidum, quem *temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse* comperit, ad mortem usque *aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguisse;* additque: *unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione et periculis vacuum.*

Enuntiatum cogitationis plenum, quodque et ob sententiae gravitatem et ob vim et concinnitatem verborum nos omnes in admirationem rapit; attamen vereor ne, hoc loco positum, minus iustum sit; concludas enim ex eo, principis amicitiam vix aliis atque adulatoribus patuisse; quod quam a vero alienum sit, haud difficile est probatu. Constat inter omnes, nulli magis imperatori cuiuscumque generis adulationem odio fuisse quam Tiberio. Cf. I 72, II 87, III 47, 65, IV 6 *in adulationem lapsos cohibebat ipse*. 37, 47, V 2, VI 30. Suet. 25, 27: *adulationes adeo aversatus est* cet. Dio C. 57, 8 sqq. Et ne Seianus quidem vili obsequentia in eius amicitiam irrepsisse usquam legimus. Sed constat insuper, praeter Lepidum, alios quoque nobiles bonosque viros eum amicos habuisse. *Intimi* eius *amici* nominantur Cn. Lentulus, *cui*, *super consulatum et triumphalia de Getis*, *gloriae fuerat bene tolerata paupertas*, *dein magnae opes innocenter partae et modeste habitae*. IV 29, 44; tum Seius Tubero, qui quidem legatus olim Germanici fuerat, IV 29, II 20. Addendi sunt Poppaeus Sabinus VI 39 et Cocceius Nerva, omnis divini et humani iuris sciens, comes principis in insula Capreis, proximus ex amicis, cui sponte vitam finienti assedit Tiberius, frustra causas exquirens, cur hoc faceret, IV 58, VI 26. [1]) Habuit quidem — at quis

1) Paschius l. l. p. 111 sqq. de horum virorum laudibus temere detrahere conatus est. Constat eorum omnium, et imprimis Lepidi, honorificam a Tacito mentionem factam esse eosque ex Tiberii aequalibus optimos et clarissimos fuisse; magnum est, in nullo aliquid dedecoris detectum esse a Tacito, qui in Tiberii amicis id memoriae prodere non supersedisset. De Lentulo cf. Dio Cass. 57 ult. verba.

De causa mortis Nervae inepta habet Dio Cass. 58, 21.

non habet in altissimo loco collocatus? — pravos amicos, sed hos, quum tales agnovisset, eum demisisse et iusta poena interdum affecisse, monstrant quae narrantur VI 10 de Vesculario Flacco ac Iulio Marino, qui, *e vetustissimis familiarium* ac *Rhodum secuti et apud Capreas individui*, ob falsas accusationes et insidias ad mortem sunt acti.

TIBERIUS PERFIDIAE CRIMINE LIBERATUS.

Lib. IV cap. 71: *Qui* (sc. Tiberius) *scelerum ministros ut perverti* (i. e. perdi, cf. c. 12, Hist. IV 38) *ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus et oblatis ad eandem operam recentibus, veteres et praegraves afflixit.*

Turpe est prodere amicos; sed multo turpius eos prodere, qui, scelere nostra gratia commisso et a nobismetipsis pellecti, bonorum odium et contemptum sibi contraxerunt. Huiusne turpitudinis reus habendus est Tiberius? Videamus. Constat multos accusatores et delatores punitos esse sub Tiberio, quorum plerique erant Seiani et Macronis clientes, idque saepe factum esse magno cum bonorum gaudio. Sed id quaerendum est, utrum hi Principis rogatu iussuve an aliorum gratia delationes susceperint, ob quas deinde puniti sint. Et Seianus quidem statim excipiendus est, quem nemo non, quidquid alioquin de Tiberio statuit, praepotentem potius rectorem, quam *ministrum* eius appellaverit. Itaque videndum est de ceteris, quos Tacitus *ministros Tiberii* habendos et turpiter ab eo proditos esse crediderit. Et prima quidem punitorum accusatorum fit mentio l. III 37: *Et Considius Aequus et Caelius Cursor, equites Ro-*

mani, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petivissent, auctore principe ac decreto Senatus puniti. Utrumque in laudem Drusi trahebatur. [1]) Hoccine loco de Tiberii ministris sermo esse potest? Non potest, quum suo periculo hanc accusationem instituerint, sive privato odio adducti, sive gratiam potentiorum inituros se sperantes; hoc autem si spectarunt, spes eos fefellit, quoniam auctoritate absentis Imperatoris poena affecti sunt a filio eius Druso, cui id laudi tributum est. Deinde in censum veniunt sex loci e l. VI, quibus decem accusatorum punitiones continentur. In his c. 3 Sextus Paconianus dicitur fuisse homo perditissimus *delectus a Seiano cuius ope dolus C. Caesari pararetur.* C. 4 Latinius Latiaris memoratur, item *Seiani* minister, uti apparet e IV 68: *Hunc Lat. Latiaris* aliique *praetura functi aggrediuntur cupidine consulatus, ad quem non nisi per Seianum aditus: neque Seiani voluntas nisi scelere quaerebatur.*

Sequitur c. 5—7: et alii Senatores et imprimis Caecilianus (s. Caesius Aelianus) Cottam Messalinam, amicum Tiberii, ob calumniose dicta in Senatu accusaverant; Cotta provocat ad imperatorem. Hic per literas Cottam *defendit*, et, *ne verba prave contorta neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur, postulavit;* in fine autem epistolae senatui potestatem fecit statuendi de Caeciliano primario accusatore, in quem placuit patribus *eandem poenam irrogari quam in Aruseium et Sanquinium accusatores L. Arruntii.* Itaque hac in causa non principis minister sed adversarius fuit Caecilianus; alia

1) De h. l. vid. supra p. 32 sq.

autem de eo, praeter hoc unum, Tacitus non prodidit. Quod attinet ad Aruseium et Sanquinium, horum causa narrata fuisse creditur in deperdita parte l. V. Si vero hi in accusando Arruntio *Imperatori* officium praestitissent, non probabile est futurum fuisse ut Arruntius absolveretur; ceterum nec de his aliunde lucem afferre nobis concessum, praeterquam quod poenam eorum levem fuisse necesse est, si saltem, qui nominantur VI 4, 40 et XI 18, iidem sunt homines, ut vulgo creditur; Aruseius VI 40 morte affectus esse dicitur, cur et a quo, latet. Porro c. 8 M. Terentius reus ob amicitiam Seiani eiusmodi in Senatu orationem habuit, *ut accusatores eius, additis quae ante deliquerant, exilio aut morte multarentur*. Qui illi fuerint ignoramus; ambierunt probabiliter hoc crimine Caesaris gratiam, infensi, ut norant, Seianianis; sed eorum opera irrita periit, quin ipsis calamitosa fuit et Terentius incolumis abiit. Itaque hos quoque accusatores non Tiberio sed sibi ipsi inservire studuisse, palam est.

Venimus ad c. 10: *Nec secus apud principem Vescularius Flaccus ac Iulius Marinus ad mortem aguntur, e vetustissimis familiarium* (sc. Tiberii), *Rhodum secuti et apud Capreas individui; Vescularius insidiarum in Libonem internuntius; Marino participe Seianus Curtium Atticum oppresserat. Quo laetius acceptum sua exempla in consultores recidisse.* En socii, quos prodidit! Non socii, sed adulatores, quos punivit, postquam falsos comperit. Quid enim? Legimus IV 58, Curtium Atticum cum Cocceio Nerva et Seiano comitatos esse Tiberium in insulam Capreas; ibi ne nominantur quidem Vescularius aut Marinus; apparet igitur Atticum Caesari coniunctissimum

fuisse, eundemque idcirco Seiani aemulum, praesertim quamdiu hic Romae degebat; hanc vero ob causam Seianus insidias struxit Attico eumque oppressit ope I. Marini; ergo Marinus, quippe insidiator amici Tiberii, non *huius*, verum *Seiani* erat socius et minister, nec mirum eum, comperto scelere, poenas dedisse Tiberio. Vescularii autem causam aut eandem aut similem fuisse suspicor; etenim, quod internuntius fuerat in causa Libonis II 27, id ei post XVI annos exitio fuisse, varias ob causas non verisimile est. Primum, quod ipsi Libonis accusatores impunes manserunt et, si Tacitum audis IV 31, vel praemio ornati sunt a Tiberio; tum, quod deinde etiam multos annos apud Capreas *individuus* fuit; tandem, quia eius partes in ista causa paene nullius momenti et reo prorsus innocentes fuerunt. Idcirco, cur Vescularius punitus sit, latet; contra de Marino constat, eum non Caesaris sed Seiani ministrum ac satellitem fuisse, unum ex illis quos hic delegerat, ut fidissimos Tiberii amicos falsis criminibus circumveniret atque ab eius latere removeret.

Denique VI 30 poena affecti dicuntur Servilius Corneliusque famosi Macronis ministri, *quia pecuniam omittendae delationis acceperant:* hi igitur nihil ad rem nostram. In eodem vero capite sequitur hocce: *Abudius Ruso, functus aedilitate, dum Lentulo Gaetulico, sub quo legioni praefuerat, periculum facessit, quod is Seiani filium generum destinasset, ultro damnatur atque urbe exigitur:* Lentulus per literas, ut fama erat, satis libere conscriptas apud Caesarem se purgavit uti nuper Terentius. Rusonem, aliunde ignotum, hac accusatione vetere ac privato odio, ex quo tempore sub illo militabat, in-

serviisse luce clarius est, ita ut hic quoque de Imperatoris ministro cogitari nequeat.

Haec exempla recensentes videmus: *tres* accusatores punitos esse ob Seiani scelerum societatem, nempe Paconianum, Latiarem, Marinum, quibus accedit fortasse Vescularius; iam hos ob oculos habuisse videtur Tacitus, quandoquidem illa reprehensio, de qua agitur, Latiaris poenae mentioni subicitur. At vero negandum est Seiani adiutores, quo sensu scriptor hoc fecit, Tiberii ministros dici posse. Seianus egit quidquid et per quos voluit nesciente Tiberio, ut supra vidimus in ann. p. 49, atque illum facinorum gnarum faciebat, quando et quatenus utile sibi videbatur. Probat hoc haec ipsa causa Sabini, quem ad seditiosos sermones sollicitaverant Latiaris tresque alii Senatores eo consilio, ut Seiani voluntatem sibi conciliarent, per quem solum ad consulatum, ut est IV 68, aditus patebat; Caesarem facta iam accusatione demum rei certiorem fecerunt cf. IV 68, 69. Itaque Tiberius eatenus tantum culpandus est, idque sane gravissimum eius peccatum, sed a nullo magis quam ab ipso deploratum [1]), quod colendi Seiani ipse ceteris dederat exemplum. — Ad reliquos accusatores ut revertar, iam vidimus his nullam cum Tiberio intercessisse consuetudinem. Ergo scriptoris insimulatio, Tiberium habuisse *scelerum ministros* hosque *ab aliis* perdi noluisse, at *ipsum* plerumque,

1) Tiberium agnovisse hunc calamitosum errorem et deplorasse, manifesto illinc efficitur, quod excusationem admisit Terentii et Lentuli; horum enim, qui accusati erant amicitiae Seiani a delatoribus, alter respondit: *perinde se quam Tiberium falli potuisse, neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum;* idemque fere alter respondit. cf. VI 8, 30. Uterque crimine absolutus est.

oblatis ad eandem operam recentibus, *afflixisse*, factis quae ipse memoriae prodidit non confirmatur, sed redarguitur.

De Cnaeo Pisone autem, quo e Tacitea narratione Tiberius ad perdendum Germanicum ministro esset usus, quemque deinde condemnari passus esset, in proximo capite disputabimus.

GERMANICUS ET TIBERIUS.

> *Is finis fuit ulciscenda Germanici morte, non modo apud illos homines qui tum agebant, etiam seculis temporibus vario rumore iactata.* Ann. III 19.

Taciti scribendi rationis propria in nulla operis parte magis sunt conspicua quam in ea, quae in Germanici rebus enarrandis versatur. Admiratio, qua hunc iuvenem prosequitur, aequiperat odium, quo ducitur in Tiberium. Constat ei, hunc ab initio regni illius perniciem meditatum esse, et inde contentionem exstitisse in qua alterius innocentia fallaciae alterius succubuerit; hanc litem ut describeret omnes artis ingeniique vires intendit: monstrat a quibus initiis orta Imperatoris invidia sensim incrementa ceperit, donec tandem nonnisi morte Germanici fuerit satiata. Hanc descriptionem, quae multis locis ab epico carmine forma tantum discrepat, excutiam, quum ex nulla magis scriptoris merita et labes eluceant.

Taciti narratio.

Quo animo erga se invicem fuerint Tiberius et Germanicus post mortem Augusti, ita significatur I 7: *Tiberius literas ad exercitus tanquam adepto principatu misit .... Causa praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam exspectare mallet.* Ab altera parte Germanicus c. 33 dicitur fuisse *anxius occultis in se patrui aviaeque odiis, quorum causae acriores, quia iniquae.* His ita animatis erumpit seditio legionum Gallicarum, quibus praeerat Germanicus. In hac enarranda [1]) data opportunitate Tiberii voluntas variis de causis magis magisque a Germanico alienata ostenditur: c. 52: *bellica quoque gloria Germanici angebatur;* c. 62 dubitanter: postulata militum concessa esse a G., *Tiberio haud probatum est, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive* — sequitur honestior explicatio; denique c. 69: principis iram *accendebat Seianus.* Oppressa seditione Germanicus manet in Gallia, sed Tiberii odium non consopitum est, immo sensim ab iratis verbis ad facta progreditur: II 5 (a. 16 p. C. n.): *Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, novisque provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret.* Ominosa verba, quibus instans adolescentis revocatio e Gallia, iter in Orientem, tristis vitae exitus praenuntiantur. Ad haec vero prius-

1) Seditio et expeditiones in Germaniam, a Dione Cassio quatuor capitibus absoluta 57, 4, 5, 6, 18, a Tacito LXI cpp. perscribuntur.

quam progreditur, ultima illius expeditio in Germaniam describitur, quam ita depingit ut historicum legas an poëtam, dubius interdum haereas. [1]) Tandem scriptor ad exitum properat. C. 26 Germanicus revocatur variis a Tiberio causis allatis, *quas fingi, seque per invidiam parto iam decori abstrahi intelligeret.* A. d. VII Kal. Iun. a. 17 celebrat triumphum c. 41, laetum quidem civibus, *sed suberat occulta formido reputantibus . . . breves et infaustos P. R. amores!* Ita etiam populus instans iuveni periculum praesentire videtur. Interim Tiberius *amoliri iuvenem specie honoris statuit, struxitque causas, aut forte oblatas arripuit*, c. 42. Mox patrum decreto Germanicus mittitur in Orientem; obtinet maius imperium quam qui vulgo his provinciis praeficiebantur: *Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum per affinitatem connexum Germanico . . . praefeceratque Cn. Pisonem . . . qui non dubium habebat se delectum, qui Syriae imponeretur ad spes Germanici coercendas. Credidere quidam data et a Tiberio occulta mandata* c. 43. Itaque simul cum Germanico Piso in Syriam venit, qui impatiens auctoritatis alterius, illius iussa spernit eiusque famae apud incolas legionesque obtrectat, quae, ut in Gallia nuper Germanicum, ita nunc Pisonem „patris legionum" titulo ornant: haec omnia *haud invito Imperatore fieri occultus rumor incedebat* c. 55. Mox Germanici in Aegypto degentis decreta Piso abrogat vel in contrarium vertit. Ille a Nilo redux increpat Pisonem, qui *abire Syria statuit, sed mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit votaque pro in-*

1) Cf. e. g. c. 10—15. Merivale V, 171 ann. ed. min.

columitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochensium plebem per lictores proturbat. c. 69. Brevi post Germanicus iterum in morbum incidit, cuius *saevam vim augebat persuasio veneni a Pisone accepti,* quocirca huic per epistolam amicitiam renuntiat. Ingravescente morbo convocat amicos et uxorem, quibus alia palam mandat, *alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio.* Deinceps moritur. c. 71 sq. — C. 73: cadaver nudatum exponitur in foro Antiochensium: citantur eorum voces, qui defuncti *formam, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum in quibus interiit, magni Alexandri fatis aequarent.* Agrippina, *quamquam defessa luctu et corpore aegro, omnium tamen quae ultionem morarentur intolerans, ascendit classem cum cineribus mariti et liberis, miserantibus cunctis.* Uxoris luctui opponitur Pisonis laetitia, qui tamen subinde metuens, confirmatus esset huiusmodi amicorum adhortatione: *est tibi Augustae conscientia, est Caesaris favor, sed in occulto.* c. 77. — Romae dolor, ira, questus vulgi erumpunt odiosi Tiberio! — Interim Agrippina cum urna ferali per mare Brundusium petit, hinc urbem. Magno omnium cum planctu passim excipitur, *aberat quippe adulatio, gnaris omnibus laetam Tiberio Germanici mortem male dissimulari.* Tiberius et Augusta publico luctu abstinent, nec non mater Antonia, ab illis (ut Tacitus credit) cohibita. Eorum autem, qui publici funeris pompam requirerent, querelas premit Tiberius edicto, simul moerentes cives adhortatus ut ad officia redeant. III 1—6.

Piso, imperium sibi ademtum a Germanico vi recuperare frustra conatus et Romam redux, accusatur a Ful-

cinio Trione, ambitioso causarum patrono, a Vitellio, Veranio et Servaeo, Germanici olim comitibus. Petitur a principe ut cognitionem excipiat; at ille *paucis familiarium adhibitis minas accusantium et hinc preces audit, integramque causam ad Senatum remittit. Arrecta omnis civitas, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo, satisne cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. Die Senatus Caesar orationem habuit meditato temperamento.* Ab accusatoribus autem obicitur Pisoni: eum *odio Germanici et rerum novarum studio vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias eo usque corrupisse ut parens legionum a deterrimis appellaretur; contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germ. saevisse; postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse: sacra hinc et immolationes nefandas ipsius et Plancinae; petitam armis remp. utque reus agi posset acie victum.* c. 7—14. Accusatio igitur duplex erat: mors per venenum parata Germanico: rerum novarum studium; harum prior non diu valuit, etenim Piso, cui aderant M'. Lepidus, L. Piso et Livineius Regulus, *solum veneni crimen visus est diluisse, quod ne accusatores quidem satis firmabant.* Hoc crimine liberatus reus relinquit Senatum: regreditur: *redintegratamque accusationem, infensas Patrum voces, adversa et saeva cuncta perpessus, nullo magis exterritus est, quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit ne quo affectu perrumperetur.* Denuo domum relatus pauca conscribit obsignataque tradit liberto, operiri fores iubet ac postridie prima luce perfosso iugulo repertus est. — His narratis Tacitus subiungit haecce, c. 16: *Audire me memini ex senioribus,*

visum saepius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit; sed amicos eius dictitavisse, literas Tiberii et mandata in Germanicum contineri, ac destinatum promere apud Patres, ni elusus a Seiano per vana promissa foret; nec illum sponte exstinctum, verum immisso percussore. Quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad iuventutem duraverunt. In iis vero codicillis, qui a liberto Pisonis mox prolati et in Senatu recitati sunt, nihil erat de Tiberii literis aut mandatis, sed in his reus innocentiam suam profitebatur et filii rogabat salutem. Hunc filium Tiberius crimine purgavit. Pro Plancina, Pisonis uxore facinorumque socia, quae suam a mariti causa segregaverat, princeps *cum pudore et flagitio disseruit, matris preces obtendens.* — Denique poena, in Pisonem a Senatoribus rogata, in multis a principe mitigata est, qui ab altera parte auctor fuit Senatui remunerandi accusatores Vitellium, Veranium, Servaeum. c. 18.

Retuli scriptoris narrationem quam fidissime. Apparet eum res gestas et interitum Germanici iudiciumque inde secutum ita tradidisse, ut sit continua accusatio Tiberii, summa arte confecta et a levioribus sensim ad graviora progrediens, qua id probare studet: imperatorem metu, invidia, odio ductum, a quo inde tempore imperium adeptus sit, unum hoc egisse, ut fratris filium suumque per adoptionem, a suetis legionibus demoveret et in alia imperii parte, destitutum defensoribus et amicis, insidiis circumveniret ac perderet: et Tiberium id tam callide perfecisse, ut omnem a se culpam in alios devolvere posset. Dubium esse nequit, quin Taciti haec fuerit intima animi persuasio. Sed eademne nostra sit oportet? Non

credo. Immo, nobis ipsa facta quae refert, a verborum involucris scriptorisque opinionibus, quibus quasi obruta sunt, probe secernentibus et per se considerantibus, statuendum fore puto, Tacitum nullum satis certum aut firmum protulisse argumentum, quod probaret, Tiberium vel odisse Germanicum vel eius mortem aut struxisse aut voluisse.

Examen et refutatio narrationis Taciteae.

Tiberius, dum in Senatu defuncti Augusti munera adire haesitat et de partienda imperii administratione verba facit, ad exercitus, cum in Gallia tum in reliquis regni partibus, literas mittit *quasi adepto iam principatu.* Cur erga Senatum aliam atque erga legiones rationem secutus est? Tacitus respondit: Causa posita erat in *formidine Germanici;* sed potius ita respondendum est: coram Senatoribus dubitationem simulavit, partim ut eorum voluntatem dignosceret, maxime vero ut eorum precibus ad suscipiendum monarchiam adigeretur atque ita hanc non minus Senatorum suffragio quam e testamento Augusti adeptus esse videretur (I 12 sqq.). At apud exercitus alia res erat; ibi merito imperatoris statim partes egit, idque non metu Germanici vel ceterorum qui provinciis praeerant, sed metu legionum — et in his praecipue sane Gallicarum, tum ob amplitudinem earum et propinquitatem, tum propter ducis consanguinitatem cum Augusto —, ne absente imperatore singulae legiones duces suos vel invitos ad regnum capessendum compellerent imperiumque civilibus contentionibus obicerent. — Dicam cur Taciti ratio minus probanda videatur.

A placida Germanici indole nihil profecto magis erat alienum, quam ut *habere imperia quam exspectare mallet*, idque Tiberium, multos annos una cum eo in castris versatum, probe novisse et a Germanico sibi nihil metuisse, inde efficio, quod eum nec continuo a legionibus avocavit — hoc autem quominus faceret nihil, quod non postea quoque obstabat — et ne tum quidem, quum illae, ut ait Suetonius c. 25, *detrectabant principem non a se datam summaque vi Germanicum ad remp. capessendam urgebant*, sed demum post biennium.

C. 3 scribit ita: *Germanicus anxius occultis in se patrui aviaeque odiis, quarum causae acriores quia iniquae.* Sed haec quoque declaratio factis redarguitur. Germ. aetatis a. 21 (a. 7 p. C. n.) in Pannoniam profectus, ibi una cum Tiberio per tres annos bella gesserat, gravissima omnium externorum post Punica (Suet. 16.); oppressa seditione ambo in Galliam abierunt ultique Varianam cladem una egerunt triumphum a. 12. Huic consuetudini ullam simultatem intercessisse, traditur a nemine. Non sane intimi erant amici, quippe indole et aetate longe dispares, sed Germanico, cur *anxius* esset aut suspicaretur se odio esse Principi, nihil erat causae. At num tamen *anxius* fuit? Nihil minus. Nemo maiore cum fiducia et securitate, nemo liberius magistratum exercere unquam potuit quam ille fecit. Quid enim? Tumultuantibus militibus suo Marte *fingit* epistolam Tiberii, qua ea iis indulget, quae severum imperatorem numquam seditiosis legionibus concessurum fuisse probe sciebat, etiamsi deinceps semel concessa a filio irrita facere periculosum aestimavit c. 36; atque universe in exstinguenda seditione ita versatus est, ut patris reprehensionem non *anxie* vitaret

sed paene provocaret, quum vel ipsi comites Germanici omnes declararent: *satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum* I 40. Porro omnem suam provinciae administrandae rationem Tiberii opinionibus prorsus contrariam esse ignorare non potuit: nihilominus quotannis expeditiones parabat sumtuosissimas, susceptas iuvenili ardore, sed infructuosas et semel iterumque tam infelici exitu ut totius Galliae opes navium, militum, iumentorum damna resarcire non potuerint. Itaque *et* ficta epistola *et* militum pacandorum ratio *et* provinciae cura, nec minus ea quae postea peregit, e. g. amoenissimum et lentissimum iter quasi triumphale per Graeciam versus Orientem, partim Tiberio merito ingrata, partim legibus vetita (uti peregrinatio Aegyptiaca) — produnt adolescentem levem, hilarem, securum, omnia temere, nihil *anxie* agentem, aliorumque invidiae aut negligentem aut nescium.

Atqui, haec si vera sunt, unde orta est perversa scriptori suspicio de mutuo illorum metu et invidia? Orta est e rerum eventu. Habet pro certo, ut fere omnes eius aequales, Tiberium occidisse fratris filium; hinc consequens est ut putet, mutuum odium iamdudum exstitisse; quod semel positum nullo non dicto aut facto imperatoris, dummodo recte interpreteris, confirmari opinatur. Exemplo sint quae legimus c. 52: *Gaudebat* Tiberius *oppressam seditionem; sed, quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quoque Germanici gloria, angebatur. Retulit tamen ad Senatum de rebus gestis, multaque de virtute eius commemoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur. Paucioribus Drusum*

et finem Illyrici motus laudavit, sed intentior et fida oratione; cunctaque quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus Initio huius loci iustis causis, ob quas Tiberius opprimendae seditionis rationem non prorsus probaverat, furtim inseritur altera, iniusta, *bellicae laudis invidia:* haec criminatio ut facile enuntiatur ita difficillime redarguitur. Et factis quidem non probatur. Etenim laudat Germanicum *pluribus* etiam verbis quam filium suum Drusum, quippe seditio in Gallia amplior et gravior fuerat quam in Pannonia, et *sancivit* eius decreta. [1]) Haec vero e Taciti opinione simulata sunt [2]), nam princeps oderat Germanicum et, qui odit, is *fida* oratione inimicum laudare nequit. Obicias, Tiberium nihildum fecisse, unde odium illud manifestum sit: res ipsas potius contrarium probare; respondet: quod nondum fecit, facturus est, vitam petiturus Germanici; hinc igitur omnia pendent, num Tiberius illius interfector fuerit.

Tandem a. 16 exeunte Germanicus e Gallia revocatur II 26. *Crebris epistolis monebat Tiberius rediret ad decretum triumphum: satis iam eventuum, satis casuum. Pros-*

---

1) Ceterum de oppressae seditionis narratione audiendus est Spengelius ll. p. 709: „Man muss gestehen, schöner und herzlicher konnte die Beilegung des Aufstandes gar nicht erfunden werden, als sie historisch dargestellt ist, *aber gerade diese Uebereinstimmung macht es bedenklich, sogleich alles als wirklich geschehen anzunehmen*, und es ist erlaubt darüber seine Zweifel auszusprechen. *Gegenüber der Härte des Drusus* im pannonischen Heere, der u. s. w., *bildet Germanicus ein Muster von Menschlichkeit*, u. s. w."

2) Ubicumque Tiberius Germanicum vituperat, non simulat secundum Tacitum sed veram mentem exprimit, ubi laudat, mentitur. Sic simulatio illa est quasi praestigiatoris caduceus, quo bona facta verbaque Tiberii in contrarium vertit (cf. II 42), donec vitia tantum restant.

pera illi et magna proelia: eorum quoque meminisset, quae venti et fluctus, nulla ducis culpa, gravia tamen et saeva damna intulissent. Se novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse. Sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Suebos regemque Maroboduum pace obstrictum. Posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quoniam Romanae ultioni consultum esset, internis discordiis relinqui. Precante Germanico annum efficiendis coeptis acrius modestiam eius aggreditur alterum consulatum offerendo, cuius munia praesens obiret. Simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui nullo tum alio hoste nisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset. Haud cunctatus est ultro Germanicus, quamquam fingi ea seque per invidiam parto iam decori abstrahi intelligeret.

Si huic epistolae fides est habenda, Germ. domum revocatus est non aliam ob causam, quam ut Germanicis bellis tandem finis imponeretur. Quaestio est, haeccine vera causa an simulata fuerit Tiberio. Equidem veram et unicam causam fuisse ex historia demonstrari posse confido.

Tiberius, ut supra ostendi p. 51 sqq., suscepto principatu pacis quam belli fuit studiosior et tuendis finibus — idque potissimum consilio, armisque demum ubi illud deficeret — contentus, *proferendi imperii incuriosus erat* IV 32; quocirca omni ex parte mentem suam expressisse aestimandus est, quum scriberet, *satis esse eventuum*, cetera *consilio* potius quam *vi* perficienda esse. Quod autem addit, Germanos internis discordiis posse relinqui, in eo acutissime vidit quae futura essent, quum mox inter Maroboduum et Arminium bellum exortum sit,

quo Germanorum opes in multos annos fractae sunt, II 62 sqq.

Huic autem principis voluntati Germanici studia et facta prorsus erant opposita, cuius ratio administrandae provinciae ut cognoscatur, res gestae inde ab initio breviter exponendae sunt. Quum praeficeretur legionibus a. 11 p. C. n., Gallia et Germania erant pacatae; mortuo Augusto insecuta est militum seditio. Huius *pudoris* ut oblivionem faceret legionariis, sub finem anni 14 cum sat magno exercitu impetum fecit in Marsas, incautos et, quippe in media pace, festos dies agentes; trucidat permultos: *non sexus, non aetas miserationem attulit.* Excivit ea caedes finitimos Germanos quorum densissimae catervae regredientem exercitum aliquamdiu turbarunt, donec vicesimani Caesaris voce et exemplo incitati hostes in fugam coniecerunt. I 50 sq. [1])

Anno proximo decernitur ei triumphus. Tum vere ineunte alteram excursionem facit (*bellum* vocat Tacitus 55 in.) in Chattos cum maioribus copiis sed aeque ac priorem prorsus nulla de causa. *Chattis adeo improvisus advenit, ut, quod imbecillum aetate aut sexu, statim captum aut trucidatum sit!* Iuventus per silvas dispergitur; Mattium, caput gentis, incenditur. Cherusci, quominus illis subveniant, altero exercitu duce Caecina prohibentur. Nec multo post legati a Segeste, Cheruscorum principe, venerunt auxilium orantes adversus vim popularium, a

---

1) Post hoc eventum leguntur ea quae modo attigi: *Tib. angebatur bellica quoque gloria Germanici.* Praeter ducis fortitudinem nulla aut gloriae aut aemulationis materies fuit in hac expeditione, quam aeque ac sequentem merito Grimmius dixit *heimtückisch und grausam.* Cf. Peter Röm. Gesch. III 159.

quibus circumsedebatur *validiore apud eos Arminio* (ipsius genero) *quando bellum suadebat.* Regreditur Caesar in Cheruscos, quorum manibus eripitur Segestes cum magna propinquorum et clientium manu, in quibus uxor Arminii cum filiolo. Hinc ingens bellum exoritur. Germaniae gentes volant ad arma. Caesar cum omnibus copiis tripartito (tertia pars per mare ad exemplum patris Drusi et Tiberii) Germaniam invadit, ut conveniant ad flumen Amisiam: adit saltum Teutoburgensium, colligit reliquias Varianae cladis conditque solenni ritu. Hinc petit Cheruscos ceterasque Germanorum gentes. Committitur proelium et *manibus aequis abscessum* c. 63. [1]) Romani recedunt ad Amisiam, hinc tripartito domum, uti venerant: tertia pars militum duce Caecina per terram regrediens, vestigiis pressum ab Arminio vim hostium aegre et cum gravi detrimento propulsat: reliqui partim navibus partim secundum litora progredientes, impedimentis, iumentis, multisque navibus atque hominibus amissis, tandem exhausti laboribus a suis recipiuntur. In Gallia autem fama iam exierat *circumventos exercitus et infesto Germanorum agmine Gallias peti* c. 69; *nec fides salutis antequam Caesarem exercitumque reducem videre* c. 70. Damna exercitus suppleta sunt iis quae Galliae, Hispania, Italia obtulerunt. Germanicus propria pecunia militem iuvit. [2])

Sequenti anno denuo Germanicus incipit a duabus

---

1) Spengel ll. p. 76 sqq., qui de tota hac expeditione prudentissime disputavit, vere observat p. 720: „Was, um die Verwunderung des Lesers „zu erregen, das Gemälde an *Lebendigkeit gewonnen hat, verliert es an innerer Wahrscheinlichkeit.*"

2) Equos I. Caesar iam in Hispania atque Italia olim coemerat. B. G. 7, 55.

brevioribus excursionibus in Chattos; tum mille navibus recens aedificatis omnes copias per fossam Drusianam, Oceanum et Amisiam, ut superiore anno, in interiorem Germaniam deducit. *Erratum in eo* II 8, quod milites in *laevam* ripam ex classe demiserat, hinc plures dies efficiendis pontibus absumpti. Progreditur ad Visurgim, flumen transit funditque Germanos, qui ad ripam aciem instruxerant. Num vero haec fuerit *magna victoria*, ut ait c. 18, est quod neges; etenim Germani, ut cognoverunt Caesarem tropaeum posuisse inscriptis victarum gentium nominibus, redeunt et proximo die renovant pugnam priore multo cruentiorem, in quo *equites ambigue certavere*, peditatusque hostium sub noctem demum recessisse videtur. Reditus difficilior etiam et aerumnosior fuit quam praecedenti anno undarumque et ventorum violentia haud sine gravibus detrimentis tandem perfectus est. Anno in finem vergente Germanicus in Marsos, legatus in Chattos irrumpit, qui, quum iterum de amissa classe rumor percrebruisset, bellum paraturi videbantur. Tum miles in hiberna reductus est. II 6—25.

Retuli Germanici res gestas, ut planum fieret quam nihil tot impensis ac laboribus, tanta hominum strage effectum esset, nisi hoc fuerit, ut constaret etiam Romanorum opes ad Germanos subigendos deficere.

Iam cognita Tiberii voluntate, a supervacuis expeditionibus alienissima, fatendum est, nihil ei magis ex intimo pectore scriptum esse potuisse quam quod in epistola legimus: *satis iam eventuum, satis casuum. Prospera illi et magna proelia: eorum quoque meminisset, quae venti et fluctus, nulla ducis culpa, gravia tamen et saeva damna intulissent .... Posse et Cheruscos ceterasque re-*

bellium gentes .... internis discordiis relinqui. Sed ideone revocandus erat Germanicus? Erat sane: etenim manentem in Gallia a bellis non abstenturum esse et experientia docuerat et ipse prae se ferebat quum precaretur *annum efficiendis coeptis*. Quaenam haec coepta? quid spectabat? Num hoc, ut fines imperii ad Amisiam aut Visurgim usque promoveret? Atqui aerumnosissimus reditus Caecinae *post partam iam victoriam* per regiones inter Amisiam et Rhenum, defectio Angrivariorum a tergo victoris agminis II 8, indefessus vigor Germanorum, postridie cladis paene integris viribus pugnam renovantium, haec omnia principem vel sola, etiamsi Augusti consilium *coercendi intra terminos imperii* I 11 negligere voluisset, adducere debuerunt ut hoc non pateretur. Itaque Germanicus revocandus erat e Gallia; hoc autem ut honoris specie fieri posset, ansam praebebat decretus triumphus, quocirca hinc merito in epistola exordium fecit. Addit: *si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae.* Ne vero quis putet eum proprio filio concessisse quod adoptato negaverat, sciat, Drusum posthac nunquam in Gallia aut Germania fuisse, nec principem unquam ab proposito destitisse, ut non nisi necessitate coactus exercitus fines egredi pateretur.

Ex his concludendum est, causas, cur Tiberius Germanicum revocare se scribat, et per se probabiles esse et ex intima eius animi persuasione fluxisse, igitur pro praetextis non esse habendas. At, nonne veris hisce alia causa subesse potuit non minus efficax, sed occultata, nempe odium? Potuit profecto, sed nondum ulla indicia offendimus, quibus sic aestimare cogeremur, ea autem indicia quae ex triennii huius spatio scriptor noster protulit

tam exilia sunt, ut acutum indagatorem graviora non invenisse mireris. Huiusmodi est quod legitur I 62: anquirit, cur Tiberio non probata fuerit longa Germanici mora in saltu Teutoburgensium, hoc modo: *seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine caesorum et insepultorum tardatum ad proelia et formidolosiorem hostium credebat: neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum attrectare feralia debuisse.* Si quid Germanici *in deterius trahere* voluisset, erant alia in huius administratione quae maiore cum veritatis specie ansam praebuissent, uti e. g. ficta illa epistola qua Tiberii nomine milites leniverat. Sed rectissime Tacitus hanc suspicionem aliis verioribus (*sive ... neque*) repressit; quibus adde, quod nemo magis feralia et planctum aspernabatur et viris indecora habebat quam Tiberius, ut ostendit in morte unici et dilectissimi filii Drusi IV 8, praeterquam quod prudentissimo belli duci, qualem ille semper se praebuerat, quaevis remoratio in mediis hostibus, quibus simul colligendi et firmandi se tempus dabatur, importuna et periculosa videri debuit.

Transeo ad reliqua Germanici fata. Romam redux agit triumphum. Tum noster II 42: *Ceterum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi sestertios viritim dedit, seque collegam consulatui eius destinavit.* Bona facta dicas; at haec ne verae benevolentiae potius quam simulatae tribuas, subiungit: *nec ideo sincerae caritatis fidem assecutus amoliri iuvenem specie honoris statuit, struxitque causas aut forte oblatas arripuit,* et sic denuo res ipsae ubi clamant Tiberium minime invidiosum aut malevolum fuisse erga filium, cedant oportet Taciteae opinioni, eum odio filium habuisse: *struxit causas,* ait:

at hoc absonum, quum iam anno ante causae adfuisse dicantur II 5. *Arripuit oblatas* et *amoliri iuvenem statuit:* verum mos erat ut Imperatorum filii et cognati ab alia expeditione reduces continuo ad aliam se accingerent, id sub Augusto Caius, Lucius et Tiberius, sub hoc Germanicus et Drusus omnes pariter erant experti. [1]) Neque ipsi Germanico hoc iter suspectum aut ingratum fuisse videtur, qui non invitus neque anxius, sed alacri animo, viso fratre Druso in Dalmatia, usus omnibus deliciis lentissimae peregrinationis per Graeciam, insulas urbesque Asiae, tandem in provinciam pervenit, ornatus maiore imperio decreto Senatus *quoquo adisset, quam qui sorte aut missu principis obtinerent* c. 43. Annus 18 sine bellis transactus est. Armeniae Parthorumque res non armis sed consilio composuit, patris, opinor, consiliis edoctus. Similiter proximus annus non tam laboribus, quam oblectationi datus est; *Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis; sed cura provinciae praetendebatur.* [2]) Perlustratis regione ac monumentis in Syriam regreditur, et haud multo post eodem anno moritur.

Quid interea gesserat Tiberius? Antequam Germanicus in Orientem profectus erat, Creticum Silanum Syria demoverat, praeposueratque Cn. Pisonem: hunc *ingenio violentum et obsequi ignarum:* illum *per affinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum eius pacta erat.* Censet autem Tacitus id factum

---

1) Mox Drusus in Illyricum missus est, c. 44.

2) II 59. Aegyptum nisi principis venia ingredi vetuerat Augustus Senatores Equitesque illustres; de quo vide E. Kühn, Verfass. d. R. R. II 80, 473.

esse, ut Germanicus in Syria pro *amico aemulum* offenderet. c. 43. Vereor tamen ne temere sic statuerit. Ac primum quidem non credo eo saltem tempore tam arctam inter Germ. et Silanum necessitudinem fuisse. Res digna est in quam data opera inquiramus. Legimus Ann. III 29 *Auctum dehinc gaudium nuptiis Neronis et Iuliae Drusi filiae.* Igitur Nero non Silani filiam olim sibi desponsatam, sed aliam uxorem duxit. Quidni duxit illam? Obieratne Silani filia? Nihil de hoc Tacitus, cuius tamen id commemorare interfuisset, ne alia de causa sponsam spretam esse suspicio relinqueretur. Itaque potius existimandum est Germanicum, a quo tempore Druso fratre uti coepit familiariter, filio natu maximo maiores nuptias concupisse principisque neptem sibi nurum petivisse. Hanc coniecturam ipsis rebus confirmari opinor. Silanus a. 11 p. C. n. (cf. Nipperdey ad II 43) in Syriam abiit, eodemque anno Germanicus in Galliam. Igitur ab hoc inde anno ad annum 18, quo Germ. in Syriam venit, nonnisi literarum commercium inter ambos exstitisse potuit; hinc probabile est sponsalia facta esse ante annum 11, quum patres una essent Romae, neque obstat Neronem tum 5 annorum puerum fuisse, quandoquidem infantes nobilium vel in cunis collocari solebant (vid. Friedlaender Sittengesch. I, 268). Iam vero Germanici Drusique interior amicitia post illud tempus demum orta est; II 43 dicuntur *fratres egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussi;* eodem anno Haterium, propinquum Germanici, praeturam ambientem una adiuverant, quum plerique contra niterentur; praeterea Germanicus petens Orientem ab itinere devertit in Dalmatiam ut viseret Drusum II 51, 53; hanc ob causam eum iam tum de filii matrimonio

cum Drusi filia cogitasse et sprevisse filiam Silani veri est simillimum. His accedit quod de Silano nulla amplius fit mentio; nusquam docemur aut Germanicum eius discessum aegre tulisse, aut Silanum in Pisonis cum illo contentione vel in iudicio ab eius parte stetisse, quo nomine tamen multi memorantur. Ex his perquam fit credibile, pristinam eorum coniunctionem a. 18 quodammodo dissolutam fuisse atque Silanum non ideo e Syria revocatum esse, ut Germanicus socio privaretur, sed sive aliam ob causam sive quod iam satis diu, per septem annos, provinciae praefuerat. [1])

Pervenimus ad alteram reprehensionem, quod nempe Tiberius remoto Silano Cn. Pisonem Syriae praefecerat. Piso a Tacito ita describitur l. l.: *Erat ingenio violentus et obsequii ignarus, insita ferocia a patre Pisone ... Sed praeter paternos spiritus uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur; vix Tiberio concedere, liberos eius ut multum infra despectare.* Tradidere quidam (I 13) Augustum monuisse Tiberium ut a Pisone sibi caveret, quippe *si casus daretur ausurum.* Idem I 74 principem tecte sed acriter in Senatu petivisse dicitur. Et hunc quidem virum scriptor contendit Tiberii fuisse ministrum, qui nulli privato odio inserviens, sed Imperatoris tantum gratia, periculis infamiaeque se obiecisset, et in Oriente sicarii vice esset functus. Quis hoc umquam credat? Erat Piso nisi inimicus Tiberii, saltem imperii eius non nimis patiens, omniumque minime as-

---

1) Quominus credamus Tiberium Neronis Iuliaeque matrimonium struxisse politicis de causis, obstant Taciti vv.: *Auctum dehinc gaudium;* quibus certe non usus esset de bene peracta Imperatoris machinatione.

sentator turpisve satelles. Itaque illa Taciti suspicio mittenda est. At quare in ipsam Syriam missus est? Dicam quod sentio. Sive Piso provinciae regimen ambiit, sive Imperator turbulentum Senatorem ex urbe demittere lubenter voluit, quaerendus erat locus, in quo, etiamsi auderet maiora moliri, copia non daretur. Et quis erat is locus nisi Syria provincia, ubi hoc ipso tempore imperabat Germanicus, *maiore imperio quoquo adisset quam qui Principis decreto erant missi* [1]) idemque simul Pisoni ceteris rebus superior generisque nobilitate par. Sed nonne oderant se invicem, ut inimicitias orituras esse provideri posset? Ne Tacitus quidem hoc retulit, id non sane omissurus, si undecunque efficere potuisset. Quod autem postea Piso negotia facessivit Germanico, id non mirum cognita eius indole, idque fortasse prospexerant Senatus atque princeps, sperantes fore ut a Caesare facile coerceretur; etenim omnia eo ducunt ut credas, Pisonem Syriae praepositum esse non ut Germanicum compesceret, sed ut ipse si quid moliretur a Germanico cohiberetur. Iam vero improvidum adolescentem, temere cedentem e provincia ut Aegypti amoenitatibus frueretur, a callidissimo et audacissimo procuratore ludibrio habitum esse, nemini nisi ipsi vitio est vertendum.

Habes quae fecisse constat Principem; ut Tacitus aestimat inimica, ut nos, opinor, evicimus, aequa voluntate in adoptivum filium. Quae praeter haec in Tiberium proferuntur sunt merae suspiciones, per se invalidae nisi rerum eventu confirmentur; harum plerasque passim iam

1) Dicas hoc ipso Senatus decreto ei expressis verbis in Pisonem imperium datum esse.

inserui, uti II 5, 42, 43, 55, 77; his addam II 41, ubi descripto splendido Germanici triumpho ita pergit: *sed suberat occulta formido reputantibus, haud prosperum in Druso patre eius favorem vulgi, avunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuventam ereptum: infaustos populi Romani amores*: i. e., uti deliciae populi Marcellus a. 23 a. C. n. (exemplum longe petitum) et Drusus a. 9 p. C. n. mature fato functi erant, ita de Germanico plebi gratissimo idem erat metus.[1]) Est haec mera superstitio vulgi, quae Tacitea gravitate relata Germanico legentis misericordiam, odium vero iis qui adversarii eius fuisse putantur, immerito conciliat. Adde praeterea III 2, IV 1.

Iam refutatis iis quae scriptor imperatori crimini danda esse credidit, nempe quod Germanici acta aliquando vituperavit, ipsum e Gallia revocavit et remoto Silano datoque successore Pisone misit in Orientem — iuxta ponamus ea quae aequa voluntate in Germanicum eum fuisse coarguant.

1. Non revocavit Germanicum a. 14, quamquam milites ansam praebuerant huic imperium deferendo, nec magis a. 16, licet iam tum motus Orientis praetextus esse potuisset.

2. Rata habuit quae G. seditiosis concesserat I 36, 52, quamquam non Tiberius tantum sed ipsi illius comites et amici *satis superque mollibus consultis peccatum esse arguebant*. c. 40.

3. Retulit laudavitque in Senatu eius res gestas c. 53.

4. Decreto triumpho G. *nomen imperatoris a Tiberio accepit*. c. 58.

---

1) Similia de Druso Tiberii filio refert Dio Cass. 57, 20.

5. Decreta sunt triumphalia insignia comitibus amicisque Germanici. c. 72.

6. Tiberius largitionem dedit populo de suo sed nomine Germanici. II, 42.

7. Cn. Sentium, quem exstincti Germanici sodales, legati ceterique Senatorii ordinis qui aderant, Syriae praefecerant, quique Cn. Pisonem, imperatoris procuratorem, vi ex Asia propulerat, impunem reliquit nec munere privavit. c. 74.

8. Defuncto Germanico honores decerni passus est permultos et praeclaros. c. 83. [1])

9. Lut. Priscus eques Romanus post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia ab eo donatus est. III 49.

10. Auctor fuit Senatui remunerandi accusatores Pisonis eosdemque comites olim Germanici. III 19.

Haec quid valeant lectori iudicandum relinquo. Sed quaestio in promtu est, an Tacito nullius momenti haec visa sint, qui tamen ipse ea tradidit. Hac autem quaestione ultro devenimus ad memorabilem locum, qui legitur III 56: *Tunc* Tiberius *Drusum summae rei admovet*, *quum incolumi* [2]) *Germanico*, *integrum inter duos iudicium tenuisset.* Non plus hauriam ex his verbis, quam sana interpretatio concedet; sed haec tria statuere posse mihi videor: primum his extenuari aliquantum quae alibi de infestis Germanico imperatoris actionibus prolata sunt,

---

1) Honores illos rogarunt Senatores; hi, ea qua erant humilitate et adulandi studio, profecto non rogassent, si suspicati essent id Tiberio fore ingratum.

2) I. e. *vivo*, cf. Suet. Oth. 12.

tum in concordiam haec redigi haud facile posse cum II 43: *Discors aula erat .... Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat, Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat* [1]): denique scriptorem concessisse, eum Germanicum externa specie non aliter ac filium tractasse. Tacitus nimirum si ipse hoc argumentum audire potuisset, ad tritam illam Tiberii simulationem provocasset ac dixisset, eum externa specie occultasse quod intus cogitaret. Verum si in his simulavit, quidni in aliis? Cur numquam reticuit si quid in G. sibi improbandum videretur? (cf. I 62, II 26, 59). Et post illius obitum, quum Tiberii quam maxime interfuisset multitudinis favorem sibi conciliare ac ficta tristitia, splendido funere, severitate in reis persequendis Germanici luctum et desiderium affectare, nihil horum simulavit, sed pro more suo [2]) cineres modestis tantum exsequiis condendos curavit, ipse cum uxore publico luctu abstinuit, moerentes cives edicto ad negotia revocavit, damnati Pisonis poenam levavit, Plancinam matris suae precibus concessit, omnino nulla in re simulanter, contra in omnibus sic se gessit, quasi suspiciones non consopire sed provocare voluisset.

Quidquid est, aut fallor aut quaecumque de Germanico hucusque dixit fecitve Tiberius, quavis alia ex causa atque ex odio aut invidia explicanda sunt; ita ut iam

---

1) Accedit hoc exemplum iis, quae supra attuli ut probarem scriptoris enuntiata de eodem negotio sibi saepe non constare.

2) Solebat in tristissimis luctibus Stoïcam ἀπαθείαν affectare, ut in morte Drusi filii et nepotis, IV 8, Dio Cass. 57, 27, 57, 14. Stolidi osores inde efficiebant eum filium quoque non patria caritate dilexisse, ut refert Suet. 52.

gravis illa tantum quaestio relicta sit, e qua omnes istae suspiciones originem ceperunt, réusne fuerit Tiberius per Pisonem praematurae mortis Germanici.

De iudicio Pisonis.

Arguebant huius accusatores III 13: *Pisonem odio Germanici et rerum novarum studio vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias eo corrupisse ut parens legionum a deterrimis appellaretur: contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos G., saevisse; postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse: sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinae, petitam armis rempublicam utque reus agi posset, acie victum.*

Prioris accusationis, caedis per *venenum*, indicia (nam alteram de petita rep. nunc non moramur) erant haec: II 69: *Reperiebantur solo ac parietibus* domus Germanici Epidaphni in suburbio Antiochiae *erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones et nomen G. plumbeis tabulis insculptum; semusti cineres ac tabo obliti, aliaque maleficia, quis creditur animos infernis numinibus sacrari. Simul missi a Pisone incusabantur ut valetudinis adversa rimantes.* C. 73: *Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur, praetuleritne veneficii signa parum constitit. Nam ut quis misericordia in Germanicum et praesumta suspicione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.* C. 74: *Cn. Sentius mulierem, infamem veneficiis in ea provincia et Plancinae percaram, nomine Martinam in Urbem misit.* Quocum conferatur III 7: *vulgatum erat, missam, ut dixi, a Cn. Sentio famosam*

veneficiis Martinam subita morte Brundisii exstinctam, venenumque nodo crinium eius occultatum, nec ulla in corpore signa sumti exitii reperta.

Studiose omnia accusatores congesserunt quae ad crimen firmandum conferre viderentur, at nihilominus in suspicionibus tantum versamur et rumoribus, quae si excutiuntur in auram evanescunt. Nugas de *ossibus humanis*, de *carminibus* et *devotionibus* lubenter cum Merivalio (V 213) sive Antiochensis sive Romanae plebis inventa esse credas, probantia crimen veneficii tam incertum atque infirmum fuisse ut quibusvis commentis esset sustinendum. Ipsi accusatores hoc senserunt, qui in iudicio, spretis hisce de incantationibus, de emissariis Pisonis, deque Plancinae cum Martina consuetudine, novum argumentum protulerunt hocce: Pisonem in convivio Germanici *cibos veneno suis manibus infectasse;* at ne hoc quidem aut iudicibus aut Tacito ulla ex parte veri speciem prae se ferre visum est. Hic enim ita concludit: III 14: *Defensio in ceteris trepidavit, nam neque ambitionem militarem, neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperatorem infitiari poterat. Solum veneni crimen visus est diluisse, quod ne accusatores quidem satis firmabant, in convivio Germanici, quum super eum Piso discumberet infectos manibus eius cibos arguentes. Quippe absurdum videbatur, inter aliena servitia et tot adstantium visu, ipso Germanico coram, id ausum. Offerebatque familiam reus et ministros in tormenta flagitabat.* Itaque Piso veneni crimen diluisse, i. e. falsum coarguisse, visus est, sed convictus est rerum novarum studii. Hic autem iudicii eventus egregie convenit cum iis quae de eius

indole ac studiis prodita supra p. 82 attulimus: scilicet non Germanici tantum sed imperatoris quoque auctoritatis intolerans fuit, quos ambo contumeliis petivit, nec tantum illum sed totam Caesarum domum perdere erat molitus, opportunitatem iam sibi datam esse ratus, quae si daretur eum *ausurum esse* Augustus rectissime olim praeviderat. Quodsi vero ille a iudicibus, Germanici fautoribus, contra ipsi *implacabilibus,* veneficii liberatus est, reapse Tiberius omnis culpae est absolvendus. Nihilominus examinanda sunt quae de *literis* et *occultis mandatis* Pisoni ab illo traditis eo tempore circumferebantur.

Datane sunt Pisoni occulta mandata a Tiberio?

Taciti locum, qui huc pertinet III 16, supra descripsi, p. 68 sq. [1]) Incipit ita: *audire me memini ex senioribus.* Igitur tametsi ingentem librorum et libellorum vim in conscribendo opere adhibuit, in quibus erant qui gravissima quaeque in Tiberium conicerent (vid. prooem.), in nullo tamen haec legit sed fando audivit [2]); in scriptis documentis hoc tantum proditum erat, *credidisse quosdam data ei occulta mandata a Tiberio* II 43. Sed

---

1) Eodem huc pertinet locus lacunosus Suetonii Tib. 52: *Etiam causa mortis fuisse ei per Cn. Pisonem legatum Syriae creditur, quem mox huius criminis reum putant quidam mandata prolaturum, nisi ea secreto ostentant .... quae* e. q. s.

2) Si praeter famam ex fontibus quoque haec accepisset, addidisset, ut IV 10: *in tradenda morte Drusi quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt retuli, sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo ut nondum exolescat.* Cf. I 80, IV 53, VI 4, 7. Hist. II 37, 50, 101, III 51, 54, IV 83, 84, V 2, 6.

ponamus Pisonem habuisse eiusmodi libellum, quidni divulgavit? Respondent: *Elusus est a Seiano per vana promissa;* sit hoc verum, etiamsi eiusmodi simplicitatem miremur in ingenio violento et obsequii ignaro; at quum intelligeret ea vana esse omniaque sibi ad exitium vergere sentiret, quidni tum edidit? Uxori liberisve nihil mali inde redundare poterat; nam illa mariti causam deseruerat et propter Augustae amicitiam erat tuta; incolumi autem matre liberis nihil erat metuendum, III 15. Respondent: sed antequam divulgaret percussus est. At hoc, quaeso, qui potuit? Legitur c. 15: *relatus domum tanquam defensionem in posterum meditaretur, pauca conscribit obsignatque et liberto tradit. Tum solita curando corpori exsequitur. Dein multam post noctem, egressa cubiculo uxore, operiri fores iussit et coepta luce perfosso iugulo iacente humi gladio repertus est.* Ergo ipse sibi necem praeparavit et conscivit. Exspectes autem eum tum saltem, quum nec sibi nec suis nocere amplius posset, libellum accusationes in Tiberium continentem sive liberto sive amico cuidam mandasse ut continuo aut postea in lucem ederet. At nihil minus; quae enim liberto tradidit fuerunt alia, non antea *visa inter manus Pisonis*, sed tum demum moribunda manu composita, quae praelecta in Senatu nil nisi preces pro liberis continebant et innocentiae obtestationem c. 16: *recitat* (sc. Tiberius) *codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos* [1]): *coniuratione inimicorum et invidia falsi criminis oppressus* e. q. s. Sed num for-

---

1) Igitur in lacuna c. 16 post vv. *apud Senatum* liberti potius mentionem intercidisse puto quam filii Pisonis ut Nipperdeyus credidit.

tasse credendum est eum amicis illum libellum commisisse? Minime, tum enim qui factum esset ut nullus eorum, nisi vivo saltem post mortem Tiberii, quum multa eiusmodi scripta in lucem prodierunt (I 1), illum divulgaverit, ut famae Pisonis simulque imperatoris infamiae consuleretur; neque intelligi posset qua ratione tam penitus obliterari potuerit, ut vix rumor superesset. Ex his sequitur, seniorum illorum narrationem omni veritatis specie esse destitutam.

Sed alius locus affertur, lacunosus, qui legitur III 14: *sed iudices per diversa implacabiles erant, Caesar ob bellum provinciae illatum, Senatus numquam satis credito sine fraude Germanicum interisse ..... scripsissent, expostulantes; quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere.* Ritterus et Nipperdeyus sua quisque ratione sententiam expleverunt, in hoc vero ambo conveniunt — idque nemo facile addubitet — accusatores postulasse ut *epistolae Pisonis et uxoris* ostenderentur. [1]) Continebant illae accusationes Germanici, unius enim epistolae argumentum

---

1) Ritterus haec addenda censet: *accusatoresque intendere suspiciones, proferri quae Piso et Plancina ad principem Liviamque.* Nipperdeyus plura deesse suspicatur; etenim quia legimus c. 15 accusationem redintegratam novamque defensionem concessam esse praeter institutam rationem c. 13, putat reum petiisse comperendinationem, tum protulisse accusationes in Germanicum quas deinceps ampliaret, quo facto accusatores postulasse ut epistolae Pisonis et Plancinae ad Tiberium et Augustam palam proferrentur. Paschius l. l. p. 62 Nipperdeyi vv. male intellecta sic refert: *die Anklager verlangten es möchten die zwischen ihm* (Tiber) *und Livia auf der einen, und Piso und Plancina auf der anderen Seite gewechselten Briefe vorgelegt werden.* Quis umquam imperatoris matrisque mutuas epistolas in examen postulare ausus esset!

percrebruit, cuius mentio fit II 78: *Piso missis ad Tiberium epistolis incusat Germanicum luxus et superbiae, seque, pulsum ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide qua tenuerit repetivisse.* Ad haec autem Tiberius ob temporum angustias respondere non potuit, quum ea quae narrantur c. 78—81 paucorum dierum spatio facta esse videantur, sed in iudicio improbavit quod Piso vi et armis provinciam recuperare studuerat, etenim Caesar *implacabilis ob bellum provinciae illatum.* Nihilominus literarum secretum invito Pisoné violare recusavit; et profecto, quum Piso accusationes in Germanicum iam in medium protulisset apud iudices, nihil ex epistolis proficeretur nisi ut iudices et plebs urbana, iam satis reo infensi, magis etiam ira exardescerent. Itaque hic quoque locus, quatenus intelligi potest, nil continet quod contra Tiberium proferri possit.

Vulgatae suspicionis origo. Factiones Iuliorum et Claudiorum.

Omnia quantum scio percontati sumus testimonia, quae ad quaestionem de Germanici morte pertineant, atque apparuit suspicionem illam, quasi Tiberius Germanici inimicissimus et praematuri eius obitus auctor fuerit, niti perversa factorum interpretatione et idcirco spernendam esse. Superest ut quaeramus, unde orta sit et cur tamdiu valuerit perversa ista opinio, quam concinne sic expressit Suetonius Cal. 1: *Germanicum obiisse fraude Tiberii, ministerio et ope Cn. Pisonis.*

Causae fuerunt plures: aemulatio gentis Iuliae et Claudiae; populi gratia his negata addictaque

illis; mores Tiberii; scelera Seiani; Tiberii historia post mortem ab osoribus conscripta. Videamus breviter de singulis.

Frustra in dubium vocarunt [1]) exstitisse revera factionem Iulianam et Claudianam, vel potius, nam illa appellatio minus accurata est, fuisse duas factiones, alteram eamque longe minorem faventem Tiberio filioque, alteram Agrippinae nepti Augusti eiusque marito Germanico et liberis. Taciti testimonia omnem hac de re dubitationem tollunt. Sunt haec:

II. 43. *Credidere quidam data a Tiberio occulta mandata et Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi. Divisa namque et discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat*, [2]) *Germanico alienatio patrui apud ceteros amorem auxerat. Sed fratres egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussi.* Ibid. 84: *Sed populo tali tempore*, mortuo Germanico, *id quoque dolorem tulit*, sc. Druso filios gemellos natos esse, *tanquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret.* IV 17: *Instabat quippe Seianus incusabatque diductam civitatem ut civili bello: esse qui se partium Agrippinae vocent, ac, ni resistatur, fore plures.* Ibid. 68: *Neque enim* Titus Sabinus *omiserat coniugem liberosque eius*, Germanici, *percolere*, *sectator domi*, *comes in publico*, *post tot clientes unus*, *eoque apud bonos laudatus et gravis iniquis.* Utram vero partem vulgus

1) Vid. Paschius l.l. p. 25.

2) Supra p. 85 iam animadvertimus haec pugnare cum III 56.

civium esset amplexum apparuit in Pisonis iudicio III 14: *simul populi ante curiam voces audiebantur, non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset. Effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias* Similiter V 4: *populus effigies Agrippinae ac Neronis gerens circumsistit curiam* sqq. Denique IV 12: *Senatus populusque .... domum Germanici revirescere occulti laetabantur.*

Erat igitur discors aula, discors civitas, scilicet urbis incolae, divisis inter Tiberium Germanicumque animis. Huius autem dissensionis origo non longe quaerenda est. Cives longe plurimi I. Caesaris Augustique domum percaram habebant et ex hac regni successorem proditurum dudum speraverant. Tiberius vero non natalibus, sed adoptione tantum ac brevi et infausto matrimonio cum Iulia, ad illam domum pertinebat, dum Germanicus triplici vinculo ei erat connexus, primum patre Druso, nato „intra penates Octaviani," cui mater tribus mensibus ante gravida nupserat (Suet. Claud. 1), dein matre Antonia Augusti sorore, tertium uxore Agrippina, quae eiusdem erat neptis. Postquam igitur Marcellus, Agrippa, Drusus, mox etiam Caius et Lucius, Augusti nepotes, obierant, ac primum Iulia Augusti filia, deinceps huius liberi Iulia II et Agrippa Postumus a patre in insulam erant relegati, atque ex tanta progenie una Agrippina erat relicta I. 3 —, in hanc et in huius coniugem liberosque plerique oculos convertebant quotiescumque de successore sermo inciderat. Hoc autem studium multum augebatur diversa utriusque indole; etenim Germanici mores et ingenium Drusi patris virtutes in memoriam revocabant, quum Tiberii, propter asperam et severam indolem, rara esset popularitas I 33, III 69. Nihilominus

Augustus, a. 4 p. C. n. post illas familiae clades, hanc spem praeciderat et ipse Tiberium, hunc Germanicum 18 annum agentem adoptare iusserat; quo facto ille successor erat destinatus, et Germanicus, quamquam imperandi spe non prorsus exclusus, tamen postpositus erat Tiberio.

Ab hac autem origine repetenda sunt multitudinis odium in Tiberium et matrem, favor erga Germanicum; atque ab eo inde tempore pullularunt crebri illi rumores, quibus nihil magis illorum famae nocuit, quique ab adversariis avide accepti et ab Agrippina II aliisque in commentarios relati sensim in scriptorum opera veris intermixti transierunt et posteritatis iudicium in errorem induxerunt.[1]) Scilicet factio illa quum accepisset imperium non

---

1) Cur sub Caesaribus plus quam antea rumoribus et suspicionibus loci fuerit relictus, docet Dio Cass. 53, 19: *οὐ μέντοι καὶ ὁμοίως τοῖς πρόσθεν τὰ μετὰ ταῦτα πραχθέντα λεχθῆναι δύναται*, etenim ab hoc inde tempore *τὰ μὲν πλείω κρύφα καὶ δι' ἀπορρήτων γίγνεσθαι ἤρξατο, εἰ δέ πού τινα καὶ δημοσιευθείη, ἀλλὰ ἀνεξέλεγκτά γε ὄντα ἀπιστεῖται· καὶ γὰρ λέγεσθαι καὶ πράττεσθαι πάντα πρὸς τὰ τῶν ἀεὶ κρατούντων τῶν τε παραδυναστευόντων σφίσι βουλήματα ὑποπτεύεται. καὶ κατὰ τοῦτο πολλὰ μὲν οὐ γιγνόμενα θρυλεῖται, πολλὰ δὲ καὶ πάνυ συμβαίνοντα ἀγνοεῖται, πάντα δὲ ὡς εἰπεῖν ἄλλως πως ἢ ὡς πράττεται διαθροεῖται.* itaque omnia referam *εἴτ' ὄντως οὕτως εἴτε καὶ ἑτέρως πως ἔχει.* Sub Tiberio autem tanta fuit rumorum multitudo ut integra historia ex iis confici posset, toto coelo a veritate diversa. Testis est Tacitus IV 10: memorat *rumorem, validum adeo ut nondum exolescat,* scil. Tiberium filio Druso invitum et per fraudem Seiani venenatam potionem porrexisse, qua exstinctus esset; tum ita pergit: *haec vulgo iactata super id, quod nullo auctore certo firmantur, promte refutaveris* (sequitur refutatio). *Sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Caesaris, et ceterorum in utrumque odio quamvis fabulosa et immania credebantur, atrociore semper fama erga dominantium exitus. . . . Neque quisquam scriptor tam infensus*

tributum iri cui ipsis placuisset, id aegre ferebant et murmurabant Augustum non de sua voluntate, sed uxoris artibus circumventum, Tiberium praetulisse. Scimus haec ex Taciti annalibus, cuius relationes hac de re supra p. 15 sqq. retulimus. Nimirum, quae ille de hac quaestione memoriae prodidit, partim ex lutulento illo fonte, quem designavi, partim ex aliis melioribusque vel ex accurato rerum studio derivata sunt; hinc factum est, ut hic quoque eius iudicium eadem laboret ambiguitate et contradictione quam alibi iam saepius deprehendimus, quaeque nos cogit ut causa cognita ex nostra ipsorum persuasione sententiam feramus.

Quaenam illa sententia esse debeat, opusculi huius initio ostendimus, nunc id tantum volo, fuisse permultos qui Augustum, ab uxore dolis circumductum, iniuria Tiberium Germanico anteposuisse aestimarent. Hi, ut facile intelligitur, novi rectoris acta lynceis oculis intuebantur, numquid inimicitiarum in Germanicum indicium exhiberent; ac male seduli illi, nihil certius reperientes,

---

exstitit, ut Tiberio obiectaret (sc. caedem filii), *cum omnia alia conquirerent intenderentque.*

Nihil autem verius quam illud: *atrociore semper fama erga dominantium exitus;* scilicet de nemine non ex Caesarea gente violentae mortis fuit suspicio; ita Drusum I ab ipso Augusto veneno interfectum esse (Suet. Claud. 1 cf. Tib. 50), Caium et Lucium a noverca Livia sublatos (I 3), in Augusti obitu scelus uxoris (I 5; cf. contra Suet. Aug. 97 sqq.) in Tiberii morte Macronis aut Caligulae manum suspicabantur (VI 50. Suet. 73). Quae omnia primo rerum et narrationum obtutu falsa reperiuntur.

De Caio superest inscriptio Pisana, in Orellii inscr. Lat. sel. coll. 643, in qua legimus, eum volneribus pro republica exceptis, ex eo casu crudelibus fatis ereptum populo Romano.

quum Germanicum laudaret „infidam orationem," quum reprehenderet „iram haud ulterius compressam" arguebant, atque iidem ex revocatione e Gallia, missione in Orientem et matura morte Germanici istam tragoediam finxerunt, quam supra perlustravimus.

Cur autem illae suspiciones tamdiu perduraverint saepius iam indicavimus. Scilicet causa partim posita est in Tiberii moribus, ad reconciliandos alienatos animos et prudenti comitate deleniendos minime aptis, partim in eius regnandi ratione, quae nec Plebeiorum nec Patriciorum deliciis: ludis, superstitionibus, provinciarum imperiis aliisque, ulla ex parte indulgebat, partim in iis quae postea evenerunt, quod indicat Suetonius, quum scribit c. 52: *quam suspicionem* (de caede Germanici) *confirmavit ipse postea, coniuge etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis.* Nondum enim tristis ac suspiciosi illius exitus memoria obdormiverat, quin insidiis, structis uxori liberisque, denuo suscitaretur, atque id quod multi mussitaverant, recentibus miseriis confirmari videretur. Hanc autem ex rerum eventu conclusionem ex parte tantum veram esse, illasque insidias nequaquam a Tiberio, sed ab uno Seiano inventas et paratas esse, Tiberiumque ab illo non prius certiorem esse factum, quam illius victimae diu lacessitae aliqua criminatione peti posse viderentur, atque igitur Tiberium nullo privato odio, sed corruptum ab amico eos persecutum esse, alibi (p. 49 in ann.) iam breviter ostendimus, quum per omnem illorum temporum historiam id persequi ab huius opusculi proposito alienum sit.

Quum conclusiones, ad quas variis hisce disquisitionibus de Taciti fide atque auctoritate in sex prioris Annalium libris sponte adigimur, iam in libelli Praefatione praenuntiaverim, finem scribendi faciam, postquam ea, qua par est, modestia hanc meam opinionem adiecero: aequam Tiberii historiam conscribi non posse, nisi *et* vitae eius anteactae, multis casibus agitatae, ad 57 aetatis annum, quo regnum accepit *et* imprimis huiusce rei, *Seianum omnium scelerum repertorem* IV 11 Tiberiumque eorum *diu nescium* fuisse VI 38 ac Seiani obsequio tantum peccasse, plus rationis habeatur, quam a Tacito factum sit.